DE

# GRAECORUM ASYLIS.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

BERNARDUS BARTH

OPPENHEMIENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER

MDCCCLXXXVIII.

Quamquam asylorum rationes et iura in uniuersum nunquam aliena fuerunt a doctorum uirorum studiis, tamen de asylis, quae apud Graecos per longum temporis spatium floruerunt nihil fere scriptum est, unde et quae fuerit eorum condicio et quantum habuerint momentum satis appareat. Nostra demum aetate ad Graecorum asyla diligentius describenda et explicanda sese contulerunt uiri docti; quamquam nonnullae res quae eo pertinent satis manserunt incertae atque perplexae. Exstat commentatio recentissima Julii Jaenischii 'de Graecorum asylis' (anno 1868 Gottingae typis expressa), qui tractatus, cum fontium copia tum temporis iam aucta et amplificata parum perite usus sit auctor neque doctis rei existimatoribus probari potuit et argumentum attigit potius quam absoluit. Ipse cum nuper etiam noua subsidia parata sint, maxime titulis nonnullis repertis, quibus Graecorum asylorum res tractantur, auctore Rudolfo Schoellio, praeceptore carissimo studiorumque meorum fautore humanissimo ad hanc rem perquirendam et illustrandam denuo me conuerti, qua disquisitione peracta ad mutuas rationes publicas quae inter Graecas ciuitates incesserunt melius percipiendas me nonnihil allaturum fuisse spero.

Asylorum institutum, quod proprium esse Graecorum constat,[1] non solum in urbibus ipsius Graeciae inuenitur, sed etiam in ciuitatibus florebat permultis Asiae minoris, Syriae, aliarum regionum.

Quare cum 'de Graecorum asylis' tractaturi simus, non solum ipsius, ut huc usque fecerunt uiri docti, Graeciae respiciamus oportet asyla, sed etiam ad ea, quae exstiterunt

---

1 Jaenisch., de Graecorum asylis pag. 6.

in ciuitatibus Graecis siue Asiae minoris siue Syriae siue aliarum regionum nobis spectandum est, quae quidem maxime floruerunt iis temporibus, quibus Graeci cultu, litteris, moribus, institutis totum fere orbem terrarum imperio tenebant.

Sed cum de antiquissimis praesertim Graeciae ipsius asylis iam satis multa disseruerint uiri docti,[1] missa faciamus descriptionem eorum singularem; nos quidem qua fuerint condicione asyla posteriora inde fere ab Alexandri Magni temporibus accuratius cognoscamus.

Habemus tria fontium genera quibus in statuendis enumerandisque quaecunque exstiterunt Graecorum asylis nitimur. Nam praeter scriptorum testimonia maximi nobis in hac re sunt momenti et tituli et nummorum permultorum inscriptiones.

Omnium fontium quos habemus de asylorum Graecorum instituto, princeps exstat Taciti celeberrimus locus (ann. III 60—63.), quo neque ullum ueterum scriptorum testimonium illustrius neque ad uera perspicienda aptius est. Describit Tacitus statum deprauatum et abiectum, quo Tiberii temporibus asyla erant. Ubi cum grauiter vituperet licentiam effrenatamque audaciam constituendi asyla quae libido ut ita dicam grassata est per Graecas Asiae minoris urbes, inde de usitato asylorum constituendorum more certiora docemur. Sed ne iustis legitimisque quidem asylis recte usi sunt supplices, cum homines deorum tutela indignissimi, serui pessimi, obaerati uoluntarii, rerum capitalium suspecti in loca illa inuiolata et sacra congregarentur, ut omne ius atque iustitiam irriderent. 'Complebantur enim templa pessimis seruitiorum; eodem subsidio obaerati aduersum creditores suspectique capitalium criminum receptabantur, nec ullum satis ualidum imperium erat coercendis seditionibus populi, flagitia hominum ut caerimonias deum protegentis'.[2] Quare Tiberio imperatori placuit anno p. Chr. n. 22., ut urbium Graecarum, quae asyla eorumque beneficia postularent, mitterentur legati, ut examinarentur et disquirerentur iura atque priuilegia siue regum siue legatorum Romanorum siue aliorum magistratuum decretis iis

---

[1] cf. Jaenisch., l. c; pag. 9 cum adn. 5, ubi doctorum uirorum laudantur de hac re commentationes.

[2] Tacit., ann. III cap. 60.

tributa, quod opus senatui erat perficiendum, cui libertatis priscae praebuerat speciem imperator 'postulata prouinciarum ad disquisitionem patrum mittendo'.

Statim 'quaedam' ciuitates, 'quod falso usurpauerant' sibi asylorum priuilegia neque decretis neque consecrationis legibus sancita, 'sponte omisere iura atque legatos mittere'.[1] Sed nonnullae urbes ciuitatesque Graecae, et aliis rebus et in populum Romanum imprimis meritis fretae, imperatoris uoluntati cesserunt, quarum in numero erant Ephesii,[2] Magnetes, Aphrodisienses, Stratonicenses, Hierocaesarienses, Cyprii,[3] Pergameni, Zmyrnaei, Tenii, Sardiani, Milesii aliaeque ciuitates haud nominatae,[4] quibus socios se adiunxerunt ipsi Cretenses.[5] Et hi quidem populi anno p. Chr. n. 22. Romam miserunt legatos. Proximo autem anno p. Chr. 23. Samii quoque et Coi[6] legationes miserunt, ut templorum suorum stabilirentur priuilegia, quae ut adipiscerentur, etiam artibus malis utebantur ciuitates nonnullae.[7] Senatus autem disquisitio satis longa, quae propter patres multis legationibus fessos et ambitionis urbium tollendae causa ad consules erat delata, eo duxit, ut confirmarentur quidem iura et priuilegia templorum ab urbibus petita, sed modus uidelicet utendi asylis, quem egredi non liceret, praescriberetur, cum ipsis in templis, quibus asylorum iura tributa uel confirmata essent, senatus consulta de asylis recens facta aeneis tabulis inscripta figere urbes iuberentur, ne quod decretum esset obliuiscerentur neue specie religionis iura excederent, sibi uindicantes praeter concessa senatus consulto priuilegia.

Unde apparet Suetonium cum Tiberii imperatoris enarraret uitam errauisse dicentem:[8] 'aboleuit (sc. Tiberius) et uim moremque asylorum, quae usque erant', teste ipso Tacito

---

1 Tacit., ann. III 60.
2 l. c. III 61.
3 l. c. III 62.
4 Tacit., ann. III 63: 'auditae aliarum quoque ciuitatium legationes'.
5 l. c. III 63.
6 l. c. IV 14.
7 l. c. III 63: 'et quia studiis certabatur'.
8 Sueton., Tib. 37.

proxime laudato: accedit quod Tiberii temporibus iam dudum lapsis eaedem urbes gaudebant asylorum iure et beneficio.

Taciti autem de asylis Graecis narratio non solum propter nomina asylorum ibi tradita maximi nobis est momenti, sed imprimis eam ob causam, quod nonnullae inscriptiones eius de asylis Graecis narrationi [1] fidem addunt, uelut tituli pertinentes ad asyla quae sunt: Veneris Aphrodisiensium,[2] Veneris cognomine Stratonicidis Smyrnaeorum [3], Jouis Panhemerii et Hecates quae et Triuia nominatur Stratonicensium.[4]

Neque pauca denique accedunt rerum scriptorum testimonia, ex quibus sufficit Plutarchi [5] de asylis narrationis fecisse mentionem, quo teste permulta nobis traduntur nomina asylorum, quae exstant Calauriae, Isthmi, Taenari Neptuni asyla, Argorum Junonis, Epidauri Aesculapii, Hermiones Cereris, Actii, Leucadis, Clari, Didymorum asyla Apollinis, Lacinii Junonis, Samothraces Cabirorum. Alia uero rerum scriptorum testimonia suo loco respiciamus.

Accedunt inscriptiones undetriginta, quae ad Bacchi asylum a Teiis statutum pertinent; omnes cum cura editae leguntur apud Le Bas et Waddington.[6]

*Ἀσυλία* autem Teiis eorumque templo Dionysi celeberrimo tribuebatur secundum titulos illos et decretis et litteris publicis Romanorum (Le Bas 60.), Aetolorum (85.), Delphiorum (84.), Athamanum (83.), denique alius uel urbis doricae uel gentis, cuius nomen traditum non est (79.); idem confirmant nonnullarum Cretae insulae urbium decreta:

Cnosiorum (61.), Polyrrheniorum (62.), Rhauciorum (63.), Cydoniatarum (64.), Axiorum (65.), Sybritiorium (66.), Latiorum (67.), Lappaeorum (68.), Hierapytniorum (68ª.), Apteraeorum (68ᵇ), Bianniorum (68ᶜ), Appoloniatarum (69.), Istro-

---

1 Tacit., ann. III 60—63.

2 C. I. G. II n. 2737 a.

3 C. I. G. II n. 3137 lin. 11—12.

4 C. I. G. II n. 2715 a; Newton, C. T. a history of discoveries at Halicarnassus, Cnidus and Branchidae. London 1863. II n. 98 et 99.

5 Plut., Pomp. cap. 24.

6 Le Bas et Waddington, voyage archéologique en Grèce et en Asie mineure. IIᵉ partie: Inscriptions. III. Tome: Asie mineure. Paris 1870. n. 60—85.

niorum (70.), Eleuthernaeorum (71.), Arcadum (72.), Allariotarum (73.), Latiorum ad Camaram (74.); quae quidem ad unum omnia probabiliter referenda sunt ad annum a. Chr. n. 193,[1] quo Apollodotus et Colotes legati a Teiis publice missi sunt ad ciuitates Cretenses modo nominatas, ut peterent asyli Teiorum iuris confirmationem, — quam ut certe assequerentur Teii, et Perdiccas Macedo, qui ob merita sua a Teiis ciuis factus est honoris causa, et Hegesander uel Agesander Rhodius, Antiochi III Magni, Syriae regis, legatus auctoritatem, qua erant apud Cretenses interposuerant, — dum eodem munere functi sunt Teiorum iussu Menippus, Antiochi III Magni, eiusdem Syriae regis, legatus et is quidem apud Romanos, Pythagoras et Clitus legati apud Athamanes, Delphios, Aetolos idque uno eodemque anno a. Chr. n. 193, ut infra elucebit.[2] Sed posteriore tempore, medio fere eodem saeculo a. Chr. n. altero, iterum legatos miserunt Teii, Herodotum et Meneclem Cretam in insulam, ut denuo impetrarent ab iisdem urbibus et ciuitatibus Cretensium asyli ius, quod iis iterum concessum est, quin etiam auctum ab Apteraeis[3] (75.), Bianniis (77.), Arcadibus (80.), Cnosiis (81.), quorum prius decretum nobis et ipsum seruatum est et ab Eranniis (76.), Pallaeis (78.) Priansiis (82.), quorum decreta priora non ad nostram peruenerunt aetatem.

Alii praeterea exstant tituli, ex quibus unacum nummis quinque asyla, alii denique (Teiorum inscriptionibus exceptis), ex quibus solis octo nobis nota sunt asyla.

Quod ad nummos, unum tantum Dianae Ephesiae nummis quoque probatur asylum, iam a multis rerum scriptoribus traditum; aliis uero nummis eadem traduntur accedente titulorum testimonio asyla quinque paulo antea memorata: permulti denique nummi soli testantur omni numero asyla uiginti quattuor quae floruerunt in urbibus et Asiae minoris praesertim Ciliciae et Syriae late sumptae.

In adhibendis autem nummorum testimoniis hoc praecipue animaduertendum est: In nummis enim ubi epigraphe

---

[1] Le Bas, l. c., „commentaires“ pag. 28 sq.

[2] cf. pag. 53. sq.

[3] apud Le Bas, l. c.

'*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*' de ipsa urbe est dicta, id hoc modo interpretandum duco, non tam ipsam urbem esse asylum quam templum quoddam uel intra eius muros uel prope ad eam situm, asyli iure praeditum. Testari uidentur haec nonnullis nummis urbium quarum elogium '*ACYΛOC*' uel '*ACYΛOY*' legitur in zophoro templi alicuius in nummis conspicui quasi epigramma, quo templum illud proprie designatur ut asylum.[1]

Quare interdum nummorum formulis, 'non urbes, sed numina ipsa in iis culta asylo gaudere dicuntur'[2] ueluti legitur in Ephesi nummis: '*EΦECIΩN. APTEMIC. ACYΛO.*',[3] uel '*APTEMIC. EΦECIA. ACYΛOC.*'[4], in nummis Pergae Pamphyliae: '*ΠEPΓAIAC. APTEMIΔOC. ACYΛOY.*'[5] Urbium autem titulus ille honorarius '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*' profectus est, ut par est, ab ipsis asylis intra uel prope ad eas sitis, quae quidem asyla, nisi nummis ipsis iam significantur, ut in Ephesiis uel Pergaeis, ex reliqua auctorum memoria, cui numini dicata sint, nobis erit enucleandum.

His fontibus nisi enumeremus asyla Graecorum, praemissis quae a disputatione nostra aliena sunt ipsius Graeciae asylis antiquissimis.

Quorum in numero fuisse putamus et ea, quae cum Amphictyonum templis et cum oraculis erant coniuncta, praeterea ea quae tanquam uetusta nobis tradita sunt a rerum scriptoribus.

Sequuntur igitur disposita litterarum ordine nomina urbium Graeciae, insularum, aliarum regionum additis templis deorum, qui eorum asylorum fuerunt praesides.

---

1 cf. Mionnet., Descr. des médailles antiques, grecques et romaines, V p. 466. n. 113 in nummo Pergae Pamphyliae: '*ΠEPΓAIAC. APTEMIΔOC*'. Temple distyle etc.; sur la frise '*ACYΛOY*'; V p. 468. n. 126. *ΠEPΓAIAC. APTEMIΔ*' . . . . Simulacre de la Diane de Perga; dans un temple distyle; sur la frise '*ACYΛOY*'.

2 Eckhel, Doctrina numorum ueterum (D. N. V.), IV p. 309.

3 Mionnet., l. c. III p. 120 n. 432.

4 Mionnet., l. c. III p. 121 n. 442.

5 Mionnet., l. c. III p. 466 n. 111—113; p. 467 n. 115; p. 468 n. 126.

## URBES GRAECIAE.

Argos Argolidis cum templo Junonis.[1]
Athenae Atticae cum templo Mineruae in arce sito.[2]
" " cum aris Eumenidum.[3]
" " cum sepulcro, postea templo Thesei.[4]
Delium Boeotiae cum templo lucoque Apollinis.[5]
Delphi Phocidis cum templo oraculoque Apollinis, Amphictyonum sede.[6]
Epidaurus Argolidis cum templo Aesculapii.[7]
Helice Achaiae cum templo Neptuni, Amphictyonum sede.[8]
Hermione Argolidis cum templo Cereris.[9]
Isthmus Corinthiae cum templo Neptuni.[10]
Lusi Arcadiae cum templo Dianae.[11]
Lycaeus mons Arcadiae cum territorio Jouis sacrosancto.[12]
Oropus Boeotiae cum templo Amphiarai.[13]
Phlius Phliasiae cum luco Hebae Ganymedae.[14]
Sparta Laconiae cum templo Mineruae Chalcioeci.[15]

---

[1] Plut., Pomp. cap. 24.

[2] Herod. V 71; Thucyd. I 126; Scholl. ad Aristoph. Eqq. u. 445; Plut., Sol. 12. Paus. VII 25, 3.

[3] Aristoph., Eqq. 1312. cum scholl., Suidas u. Θησεῖον; Scholl. ad Aristoph., Thesm. 224.

[4] Aristoph., Eqq. 1311. sq. cum scholl.; Polluc. VII 13 (cf. Meinekii Com. graec. II 519. no. 33: Aristoph. Hor. fragm. et Eupolid.) Etymol. Magn. u. Θησεῖον. (cf. frg. Philoch. 47. Müller. Fragm. hist. Gr. I p. 392.) Plut., Thes. 36; Suidas u. Θησεῖον.

[5] Liu. XXXV 51; Thucyd. IV. 97—99.

[6] Aeschin., de fals. leg. § 115.

[7] Plut., Pomp. 24.

[8] Paus. VII 24, 5; Polyaen. VIII 46.

[9] Plut., Pomp. 24. — Phot., lex. u. Ἑρμιόνη.

[10] Plut., Pomp. 24.

[11] Polyb. IV, 18.

[12] Thucyd. V 16; Paus. VIII 38, 6; Ael., nat. anim. XI 6. 7.

[13] Diog. Laert. II 142.

[14] Thucyd. IV 133; Paus. II 13, 4.

[15] Thucyd. I 128. 134. 135; Polyb. IV 35, 3; Diod. XI 45; Corn. Nep., Pausan. 5; Paus. III 17, 7—9; Polyaen. VIII 51. — Plut., Agis 16. 19.

Taenarum Laconiae cum templo Neptuni.[1]
Tegea Arcadiae cum templo Mineruae Aleae.[2]

## INSULAE ET URBES INSULARUM.

Calauria cum templo Neptuni, Amphictyonum sede.[3]
Delus cum templo Apollinis, Amphictyonum sede, totiusque insulae territorio sacrosancto.[4]
Leucas cum templo Apollinis.[5]
Samothrace cum templo Cabirorum totiusque insulae territorio sacrosancto.[6]

## ACCEDUNT

Lacinium Graeciae Magnae promunturium cum templo Junonis.[5]
Palice Siciliae cum territorio Palicorum sacrosancto.[7]

Addamus nunc

## URBES ASIAE MINORIS, SYRIAE, ALIARUM REGIONUM,

quorum asyla posteriore tempore maxime floruisse hac nostra disquisitione demonstremus.

1. Abila Leucas Decapoleos.
2. Aezani Phrygiae.
3. Allaria Cretae.
4. Amathus Cypri.
5. Amyzon Cariae.
6. Ancyra Galatiae.
7. Antiochia ad Hippum Decapoleos.
8. Antiochia Epidaphnes ad Orontem Seleucidis.

---

[1] Thucyd. I 128. 133; Diod. XI 45; XVII 111; Corn. Nep., Pausan 4, 4; Plut., Pomp. 24; Aelian., V. H. VI 7; Paus. IV 24, 5; VII 25, 3.

[2] Xenoph., Hell. III 5, 25; Herod. I 66; Plut., Lysand. 30; Paus. II 17, 7; III 5, 6; III 7, 10.

[3] Strab. VIII 6 § 14. (p. C. 373); Plut., Demosth. 28. 29; Pomp. 24.

[4] Liu. XLIV 29.

[5] Plut., Pomp. 24.

[6] Liu. XLV 5; Diod. III 55, 9; Plut., Pomp. 24; Aemil. Paull. 23 et 26.

[7] Diod. XI. 89.

9. Antiochia ad Sarum Ciliciae.
10. [Antiocheni Ptolemaidis Galilaeae.]
11. Apamea Seleucidis.
12. Aphrodisias Cariae.
13. Ascalon Judaeae.
14. Caesarea Panias Trachonitidis, Ituraeae.
15. Capitolias Coelesyriae.
16. Clarus Joniae.
17. Corycus Ciliciae.
18. Cos Sporadum insula.
19. Didyma Joniae.
20. Diocaesarea Galilaeae.
21. Dora Phoenices.
22. Ephesus Joniae.
23. Eusebia Cappadociae.
24. Gadara Decapoleos.
25. Gaza Judaeae.
26. Hierocaesarea Lydiae.
27. Laodicaea ad mare Seleucidis.
28. Magnesia ad Maeandrum Cariae.
29. Miletus Joniae.
30. Moca Arabiae Petraeae.
31. Mopsuestia Ciliciae.
32. Nicomedia Bithyniae.
33. Nysa Cariae.
34. Nysa Scythopolis Samariae.
35. Paphos Cypri.
36. Paros Cycladum insula.
37. Perga Pamphyliae.
38. Pergamus Mysiae.
39. Ptolemais Galilaeae.
40. Rhosus Seleucidis.
41. Salamis Cypri.
42. Samos Sporadum insula.
43. Samosata Commagenes.
44. Sardes Lydiae.
45. Sebaste insula Ciliciae.
46. Seleucia Seleucidis.

47. Sidon Phoenices.
48. Smyrna Joniae.
49. Stratonicea Cariae.
50. Tarsus Ciliciae.
51. Tenos Cycladum insula.
52. Teos Joniae.
53. Tralles Cariae.
54. Tripolis Phoenices.
55. Tyana Cappadociae.
56. Tyrus Phoenices.

ACCEDUNT

57. Andania Messeniae.
58. Cretenses.
59. Massilia Galliae Narbonensis.
60. Nicopolis-Actium Epiri.

ad n. 1. 7. 24.
## ASYLA DECAPOLEOS SYRIAE.

1. Abilenorum urbs, quae et Leucas dicitur unacum Antiochia ad Hippum et Gadara urbibus Decapoleos inde ab Antoninorum temporibus asylo gaudebat.

Abila tribus nummis praedicatur 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος'. Sunt enim nummi Marci Aurelii [1], Lucii Veri, [2] Commodi, [3] quorum elogia in notatione 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος' consentiunt. Epigraphe enim est haec ex. gr. nummi L. Veri: *'CE.ABIΛHNωN. I.Α.Λ.Γ.ΚΟΙ.CY.ΘΛC'*. h. e. *CEβαστων ΑΒΙΛΗΝωΝΙερας Λσυλου Λυτονομου Γνωριμου ΚΟΙλης CYριας ΘΛC.* (ann. 239. aer. Pomp. ab anno a. Chr. n. 64. ductae.)

Cuius numinis templum Abilenorum fuerit asylum pro certo minime dici potest. Fortasse Herculis templum aliquod apud Abilenos asyli iure gaudebat, qui deus ab iis cultus esse uidetur praecipue; bis enim occurrit Herculis typus et

[1] Mionnet, Description de médailles antiques, grecques et romaines. Suppl. VIII p. 223. n. 1.

[2] Mionnet, l. c. XV p. 318. n. 2; Eckhel, Doctrina nummorum ueterum. III p. 345.

[3] Mionnet, l. c. V p. 318 n. 3; Eckhel, l. c. III p. 345.

in L. Veri nummo saxo insidentis et in Commodi nummo similis statuae Farnesianae.[1]

7. Antiochia ad Hippum asylo eiusque iure gaudebat testantibus nummis qui sunt et ipsius Antonini,[2] M. Aurelii,[3] L. Veri,[4] Commodi,[5] quorum epigraphe est: '*ANTIO.Tω. ΠΡ.ΙΠ.ΤΗC.ΙΕΡ.Κ.ΑCΥΛΟΥ*' uel: '*ΑΝΤΙΟΧ.ΠΡ.ΙΠ.ΙΕΡ. ΑCΥΛΟC*' uel: '*ΙΕΡ.ΑCΥ.*' uel: '*ΙΕΡ.ΑC.*' uel: '*ΙΕΡ.ΑCΥΑ.*'

24. Gadara in nummis quattuor, qui sunt Antonini Pii,[6] L. Veri,[7] Elagabali duobus,[8] uocatur 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος' additis aliis honorum titulis, qui sunt expressi ex. gr. hoc modo: *ΠΟ.ΓΑΔΑΡ.Ι.Α.Α.Γ.Κ.CΥ.* uel *ΓΑΔΑΡΕωΝ.Ι.Α.Α.ΚΟΙ. CΥΡ.* uel *ΓΑΔΑΡΕ.Ι.Α.Α.Γ.Κ.CΥΡ.*

Priuilegia illa ab Antonino Pio imperatore templis certis, (nescio quibus), harum trium Decapoleos prouinciae urbium tributa esse uidentur.

## ad n. 2.
## ASYLUM PHRYGIAE.

2. 'Αἰζανειτῶν δῆμος ἱερὸς καὶ ἄσυλος' dicitur in titulo[9] Aezanis in urbe Phrygiae Epicteti ad Rhyndacum inuento; in altero titulo[10] ibidem reperto πόλις Αἰζανειτῶν et eadem 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος' praedicatur.[11] De templo asyli iure gaudente quidquam statuere minime auderemus, nisi Aezanitarum urbis elogium 'νεωκόρος' exsisteret.

Nam et urbs[12] et 'δῆμος Αἰζανειτῶν'[13] appellatur 'νεωκόρος τοῦ Διός', unde templum Jouis, qui Aezanis praecipue cultus

---

1 Mionnet, Descr. de méd. V pag. 318. n. 2 et 3.

2 Mionnet, l. c. V p. 319. n. 5. Eckhel. D. N. V. III p. 347.

3 Mionnet, l. c. V pag. 319. n. 6. 7; Suppl. VIII p. 224. n. 3. Eckhel, l. c. III p. 347.

4 Mionnet, l. c. V pag. 320 n. 9. 10. 11. 12.

5 Mionnet, l. c. V pag. 320 n. 13.

6 Mionnet, l. c. V pag. 325. n. 35; Eckhel, l. c. III p. 349.

7 Mionnet, l. c. V pag. 320. n. 39; Eckhel, l. c. III p. 349.

8 Mionnet, l. c. Suppl. VIII p. 229 n. 22; pag. 320. n. 23.

9 C. I. G. II add. n. 3841 d. lin. 9—11.

10 C. I. G. II add. n. 3841. g.

11 l. c. lin. 1—4.

12 C. I. G. II add. n. 3841 g. lin. 2.

13 C. I. G. II add. n. 3841 d. lin. 8 et g. lin. 5.

esse uidetur, ita ut Juppiter Aezanensis quasi sollemniter appellatus sit,[1] Aezanitarum asylum fuisse certum est. Inscriptiones autem Aezanos urbem ἱερὰν καὶ ἄσυλον testantes ad annum ut credo p. Chr. n. 211 sunt referendae[2] propter M. Aurelium Antoninum et P. Septimium Getam imperatores[3] commemoratos, nam Geta anno 212 p. Chr. a Caracalla fratre necatus est, postquam proximo anno 211 in regni uenit communionem post Seuerum patrem ueneno ut dicunt Caracallae filii absumptum.

Quo tempore autem priuilegiis ornata fuerit Aezani urbs in incerto manebit.

ad n. 3. 36. 58.

## ASYLA CRETAE.

3. Habemus titulum quendam ualde corruptum, quo continetur Pariorum epistula, communi dialecto scripta, qua Allariotis Cretae nuntiantur priuilegia in eos collata.[4] In his fuisse asyli ius Allariotis tribuendum pro certo haberi potest secundum titulum alterum Allariotarum de Pariorum asyli iure decretum praebens,[5] quo testante et Parii et Allariotae legatos miserant uicissim 'περὶ τῶ᾽σύλω',[6] de utriusque ciuitatis asylis, quae erant cum Pariorum templum Cereris tum Allariotarum fanum Apollinis, ubi ψηφίσματα publice collocabantur ut docet idem decretum Allariotarum,[7] unde Apollo deus patrius et templum eius Allariae princeps esse uidetur, quare non mirum, quod huic ipsius Apollinis templo asyli ius a Pariis concessum tribuamus. Exemplum autem decreti illius, quo de Allariotarum asylo statuerant, sigillo publico[8] munitum Allariotis miserunt Parii.

36. Pari modo Allariotae[9] et alia priuilegia uelut et

---

1 C. I. G. II n. 3835ᵃ.

2 cf. Boeckh., C. I. G. III p. 1067, nescio quare: 209—211. p. Chr.

3 C. I. G. II n. 3841 d. lin. 1—7.

4 C. I. G. II ad n. 2557 A.

5 C. I. G. II n. 2557 B.

6 l. c. lin. 4.

7 l. c. lin. 20—23.

8 C. I. G. II n. 2557 A. lin. 5—6.

9 C. I. G. II n. 2557 B.

ἰσοπολιτείαν et omnium rerum diuinarum humanarumque communionem[1] Pariis concesserunt et imprimis ἀσυλίαν[2] templi eorum Cereris.

Asyla nostra statuta atque confirmata esse uidentur circa medium saeculum a. Chr. n. secundum, quod quidem ex titulorum argumento formaque eorum exteriore potest concludi.

58. Imperante Tiberio anno p. Chr. n. 22. uenerunt etiam legati Cretensium Romam, qui petierunt ex senatu Romano asyli ius 'simulacro diui Augusti', quod haud dubie acceperunt secundum ea, quae Tacitus addit[3] his uerbis: 'facta senatus consulta, quis multo cum honore modus tamen praescribebatur, iussique ipsis in templis figere aera sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur,' unde asyli ius et aliis ciuitatibus et Cretensibus confirmatum et sancitum esse colligitur. Testatur hoc a Cretensibus petitum morem haud inusitatum, quo ipsorum imperatorum statuae et simulacra uelut ἄσυλα statuebantur et perfugia habebantur omnibus eo confugientibus et simulacrum amplectentibus, qui quidem mos mox in peius mutabatur, quare iam anno p. Chr. n. 21. C. Cestius senator magnopere questus est, quod 'incessisset deterrimo cuique licentia impune probra et inuidiam in bonos excitandi arrepta imagine Caesaris, libertique etiam ac serui, patrono uel domino, cum uoces, cum manus intentarent, ultro metuerentur', haec patribus dicens: 'Principes quidem instar deorum esse, sed neque a dis nisi iustas supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium aliaue urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur. abolitas leges et funditus uersas, ubi in foro, in limine curiae ab Annia Rufilla, quam fraudis sub iudice damnauissent, probra sibi et minae intendantur, neque ipse audeat ius experiri ob effigiem imperatoris oppositam.'[4]

Qui imperatorum honos arte coniungebatur cum eorum hominum seruandorum potestate, unde factum est, ut quod-

---

1 l. c. lin. 15—19.

2 l. c. lin. 14—15.

3 Tacit., ann. III 63 fin.

4 Tacit., ann. III 36.

uis templum atque quaelibet sacella nescio cuius imperatoris numini sacra, siue in Italia, siue in prouinciis sita, asylum fuerit eorumque statuae atque effigies perfugia exstiterint, quibus omne ius atque iustitia opprimebatur.

ad n. 4. 35. 41.

## ASYLA CYPRI INSULAE.

4. Amathuntis Cypri asylum, ab Amathunte, urbis ipsius conditore et heroe institutum, testante Tacito,[1] dedicatum fuit Veneri Amathusiae.

35. Alterum Cypri asylum celeberrimum et uetustissimum est Veneris Paphiae templum iam mythicis temporibus ab Aëria rege statutum,[2] patre Amathuntis. Tacitus de eo asylo haec tradit: 'Exim Cyprii tribus de delubris (sc. referebant), quorum uetustissimum Paphiae Veneri auctor Aërias. Simulacrum autem deae Paphiorum, quae nata mari primum ibi appulisse dicitur, non effigie humana; continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum, metae modo exsurgens,' ut id descripsit idem Tacitus.[3]

41. Tertium asylum est Jouis Salaminii, cuius auctor est Teucer;[4] qui heros perfugus ira Telamonis, patris sui, in Cypro nouam condidit urbem Salamina ibique Jouis Salaminii cultum instituit et asyli iure templum eius ornauit.

Floruerunt haec tria asyla inde ab antiquissimis temporibus et conseruauerunt priuilegia sua usque ad Tiberii imperatoris aetatem. De eorum iure asyli autem Cyprii anno p. Chr. n. 22. referebant ad senatum, a quo denuo impetrauerunt *ἀσυλίαν* templorum in posterum.[5]

[1] Tacit., ann. III 62.

[2] quod testatur altero quoque loco Tacitus (hist. II 2 et 3), ubi de Veneris Paphiae religionis initiis (ab Aëria rege ductis), de templi deae forma, de sacri faciendi ritu paucis disseruit.

[3] Tacit., hist. II 3.

[4] Tacit., ann. III 62.

[5] Tacit., ann. III 63 in fine.

ad n. 5. 12. 28. 33. 49. 53.

## ASYLA CARIAE.

5. Amyzon urbs gaudebat asylo ut testatur titulus.[1] Asyli ius assecuti esse uidentur Amyzonenses beneficio cuiusdam regis,[2] qui condiciones iuris illius accurate ut fieri solet circumscripsit. cuius rei testes sunt uerba: 'τὸ μηθενὶ ἐνοχλεῖν ὑμᾶς.'[3] Titulus omnino exhibet epistulam magistratus alicuius siue praefecti, qua confirmatur Amyzonensibus asylum. Quae quidem scripta esse uidetur Leakio iudice secundum litterarum formam ea aetate qua primum in Asiam uenerunt Romani.[4] Praeterea de asylo illo nihil dici potest.

12. Aphrodisiadis urbis asylum cui deae sit dedicatum ipso nomine exprimitur; idem titulo: [τὸ δὲ] τέμενος θεᾶς Ἀφροδίτης ἐν πόλει Πλαρασέων καὶ Ἀφροδεισιέω[ν ἄσυλον ἔ]στω[5] probatnr. Tacito quoque teste[6] Aphrodisienses Veneris religionem tuebantur Tiberio imperante 'dictatoris Caesaris ob uetusta in partes merita decretum afferentes', ex quo quae sibi uindicassent iura. merito sibi uindicasse intellegi posset, cum ius asyli templo Veneris Aphrodisiae a Caesare esset confirmatum.

Sunt omnino decreta ad Aphrodisiensium urbem eiusque religiones immunitatesque pertinentia haec:

I Senatusconsultum, anno a. Chr. n. 38., ut Cassio Dione[7] probante recte demonstrauit Boeckhius,[8] tribuendum et priuilegia a C. Julio Caesare et ab Antonio triumuirorum nomine Aphrodisiensibus data confirmans.[9]

---

[1] C. I. G. II n. 2899 lin. 2 'τὸ ἱερὸν ἄσυλον'.

[2] l. c. lin. 3. 'βασιλέως εὔνοιαν'.

[3] l. c. lin. 4.

[4] cf. Boeckh., C. I. G. II ad n. 2899.

[5] C. I. G. II n. $2737^b$. lin. 10 sq., ubi ἄσυλον] scripsi, etsi ἱερὸν retinuit Boeckhius, cum 'τὸ τέμενος θεᾶς Ἀφροδίτης' satis exprimat sanctitatem loci, quae primatur atque proprie urgatur opus non est. Potius ἄσυλον erat exspectandum.

[6] ann. III 62.

[7] XLVIII 34.

[8] C. I. G. II pag. 495 ad tit. n. $2737^b$.

[9] l. c. II n. $2737^b$.

II Antonii triumuiri 'ἐπίκριμα', nomine triumuirorum confectum.[1]

III C. Julii Caesaris 'γράμματα', communis decretorum antecedentium fons.[2]

Quae tria decreta artissime inter se cohaesisse prima specie apparet. Fluxerunt enim et senatusconsultum et Antonii 'ἐπίκριμα' ex uno Caesaris decreto siue uero a Caesare iam uiuo confecto siue falso a M. Antonio subdito. Quamquam decretum C. Julii Caesaris de Aphrodisiensium rebus exstitisse confirmatur et Taciti uerbis[3] et senatusconsulti initio, quo nonnulla leguntur decreti Juliani excerpta,[4] et Antonii denique epistula quam scripsit ad Aphrodisienses,[5] cuius in fine decretum Caesaris, utut erat, uerbotenus additum fuisse uerba ipsa testantur 'Γράμματα Καίσαρος', quae tamquam decreti titulus erant superscripta.

Neque uero iniuria, opinor, Cicero[6] de Antonio male dixit: 'Decreta falsa uendebat; regna, ciuitates, immunitates in aes accepta pecunia iubebat incidi. Haec se ex commentariis Caesaris, quorum ipse auctor erat, agere dicebat.' Quare 'Γράμματα Καίσαρος' magnam ueniunt in suspitionem, praesertim cum in aede Telluris a senatu interrogatus, num 'inter acta C. Caesaris immunitates aliquae datae?' — 'nullae' responderet Antonius,[7] manifesto, ut recte monuit Chishullus,[8] et propria ipsius Antonii epistula[9] nunc demonstrat, mendacio. Accedit quod Caesaris illud decretum satis suspectum confirmauit Antonius 'ἰδίῳ ἐπικρίματι' h. e. decreto ipsius accessorio, nomine quidem, ut ait,[10] triumuirorum, sed suae ipsius, ut probabilius est, utilitatis causa confecto idque anno a. Chr.

---

[1] l. c. II n. 2737a lin. 22—24; lin. 35—37; n. 2737b lin. 4.

[2] l. c. II n. 2737a in fine 'Γράμματα Καίσαρος' et n. 2737b init.

[3] ann. III 62.

[4] C. I. G. II n. 2737b lin. 1—4.

[5] l. c. II n. 2737a, qui quidem titulus nostram exhibet Antonii epistulam.

[6] Philipp. V 4.

[7] Cicer., Philipp. I 7, 10.

[8] uid. Boeckh., C. I. G. II pag. 494 sq.

[9] C. I. G. II n. 2737a.

[10] l. c. lin. 2—4.

n. 40., quo id factum esse Boeckhius suspicatus est, cum triumuir in Asiam profectus esset ad cogendas pecunias militibus suis promissas,[1] ita ut ab Aphrodisiensibus priuilegiis beneficiisque a se nuper datis satis multam accipere posset pecuniam.

Quorum utrumque decretum continetur et denuo confirmatur senatusconsulto,[2] Boeckhio[3] teste anno a. Chr. n. 38. facto L. Marcio C. Sabino coss., quo anno acta triumuirorum secundum Cassium Dionem[4] a senatu sunt confirmata.

Hoc quidem senatusconsulto accurate describuntur secundum Caesaris *γράμματα* Antoniique *ἐπίκριμα* templi Veneris Aphrodisiensis religiones: '[*Τὸ δὲ*] *τέμενος θεᾶς Ἀφροδίτης ἐν πόλει Πλαρασέων καὶ Ἀφροδεισιέω*[*ν*], (quorum urbem unam eandemque fuisse ex hoc loco apparet,)[5] [*ἄσυλον ἔ*]*στω ταὐτῷ δικαίῳ ταὐτῇ τε δεισιδαιμονίᾳ, ᾧ δικαίῳ καὶ ᾗ δεισ*[*ιδαιμονίᾳ τὸ θεᾶς Ἐφε*]*σίας ἐστὶν ἐν Ἐφέσῳ, κύκλῳ τε ἐκείνου τοῦ ἱεροῦ εἴτε τέμενος εἴτ*[*ε ἄλλος*] *τόπος ἄσυλος ἔστω,*' unde constat eadem esse concessa a senatu Romano priuilegia atque beneficia Veneri Aphrodisiensium deae atque Ephesiorum patronae, Dianae. De finibus asyli nostri certi nihil dictum est; nam '*κύκλος*' templi illius deae Aphrodisiensis, quod spatium terrae amplexus sit definiri non potest. Sed cum Dianae Ephesiae priuilegia ad hoc Veneris Aphrodisiensis translata sint asylum sine ullo discrimine, ut '*ταὐτῷ δικαίῳ ταὐτῇ τε δεισιδαιμονίᾳ*' seruarentur quo asyli Ephesiorum, etiam fines asyli Aphrodisiensium eosdem fuisse atque Dianae Ephesiae ab eodem M. Antonio triumuiro Strabone[6] teste statutos coniecturam facere liceat. Nam Dianae Ephesiae asyli fines ita statuti sunt ab Alexandro Magno, ut stadii unius amplecterentur longitudinem (in circuitu, ut par est), quod spatium a Mithridate rege

---

[1] uid. Boeckh., C. I. G. II pag. 495.

[2] C. I. G. $2737_b$.

[3] uid. C. I. G. II pag. 495.

[4] XLVIII 34.

[5] et eiusdem senatusconsulti testatur uerbis his: '*ἡ πόλις καὶ οἱ πολῖται οἱ Πλαρασέων* [*καὶ Ἀφροδεισιέω*]*ν κωμῶν, χωρίων, ὀχυρωμάτων, ὅρων, προσόδων .... χρῶνται. κτλ.* lin. 13 sq.

[6] XIV § 23 pag. C 641.

paululo productum est; Antonii autem iussu fines asyli Ephesiorum aliquanto amplificati sunt, cum ipsa spatii sacrosancti, quod usque ad id tempus fuit, duplicatione Ephesi urbis partem quoque comprehenderet.[1] Ceterum Ephesiorum asyli ambitus, qualis exstitit Antonii iussu a diuo Augusto irritus factus est, quia 'τοῦτο βλαβερὸν ἐφάνη καὶ ἐπὶ τοῖς κακούργοις ποιοῦν τὴν πόλιν.'[2]

Ceterum Antonii epistula[3] scripta est ad Aphrodisienses, per Solonem quendam, Dionysii filium, legatum ad Antonium missum petentes, ut apographum mitteretur[4] et triumuirorum (uel potius Antonii) ἐπικρίματος et senatusconsulti[5] et iurisiurandi[6] et legis[7] ex tabulario publico ad uerbum descriptum, quibus documentis Aphrodisiensibus asyli ius unacum aliis priuilegiis et libertatis[8] et iurisdictionis propriae[9] et immunitatis[10] concedebatur a populo Romano eiusque magistratibus; immo 'φίλη τε καὶ σύ[μμαχος]'[11] Romanorum a senatu appellabatur.

Sed Tiberio imperante Aphrodisienses ut tuerentur uetera asyli priuilegia dictatoris Caesaris attulerunt decretum,[12] Antonii illa epistula non sine ratione silentio transmissa, ut

---

[1] Strab. XIV 1 § 23 pag. C 641 in fine: 'Ἀντωνίου δὲ διπλασιάσαντος τοῦτο καὶ συμπεριλαβόντος τῇ ἀσυλίᾳ μέρος τι τῆς πόλεως'.

[2] Strab. l. c.

[3] C. I. G. II n. 2737 tit. a.

[4] l. c. II n. 2737 tit. a lin. 26—30: 'ἀντιπεφωνημένα ἐκ τῶν δημοσίων δέλτων ἐξαποστεῖλαι τὰ ἀντίγραφα'.

[5] l. c. lin. 24—25: 'δόγματος'.

[6] l. c. lin. 25: 'ὁρκίου'.

[7] l. c. lin. 25—26: 'νόμου'.

[8] C. I. G. II n. 2737 tit. b. lin. 1: '[αὐτοὺς κατὰ τὰ δί]καια ἐσθλά τε [πάντ]α ἐλευθέρους εἶναι'. lin. 6 sq.: 'τὴν ἐλευθερίαν .... ἔχειν'. lin. 9: 'τὴν ἐλευθερίαν .... ἔχει ....'

[9] l. c. lin. 1 sq. 'ταῖς [κρίσεσιν ταῖς ἑαυτῆς τὴν πόλιν] τῶν Πλαρασέων καὶ Ἀφροδεισιέων χρῆσθαι'.

[10] l. c. lin. 2 sq. 'μήτε ἐγγύην ε[ἰσφέρειν]'. lin. 7 sq.: 'ἀτέλεια [ο]ὕτ[ω]ς πάντων τῶν πραγ[μάτων ἔχειν'. lin. 9: 'τὴν ἀτέλειαν ἔχει'. lin. 15 sq.: 'καρπίζωνταί τε πάντων πραγμάτων ἀτε[λεῖς μήτε φόρον δ]ιά τινα αἰτίαν ἐκείνων διδόναι μηδὲ [ξ]υνεισφέρειν ὀφείλωσιν'.

[11] l. c. lin. 10.

[12] Tacit., ann. III 62.

animaduertit Chishullus,[1] cum nihil prodesse posset Aphrodisiensibus. Accedit quod 'Antonio euerso omnia eius acta rescissa sunt',[2] quo facto eius epistula quoque decreto accessorio, quod afferre eandem ob causam ausi non erant, minime excepto omni et auctoritate et ui priuata est.

Ceterum Veneris Aphrodisiensis asyli ius Tiberio imperante a senatu Romano confirmatum et in posterum seruatum est anno p. Chr. n. 22.

28. Magnetes anno p. Chr. n. 22. de asyli iure, quo templum suum Dianae Leucophryenae, quae uocatur, erat ornatum ad senatum referebant. Auctorem priuilegii fuisse fatentur L. Cornelium Scipionem, qui Antiocho III. Magno fratris P. Scipionis auxilio deuicto Magnetum fidem atque uirtutem hoc ipso bello praestitam illo modo ornauisset.[3] Quod quidem factum est haud dubie anno a. Chr. uel 190. uel 189., certe post uictoriam ab exercitu Romano de Antiochi copiis apud Magnesiam ad Sipylum reportatam.

Idem ius Tacito teste denuo confirmauit Magnetibus L. Cornelius Sulla, cum centum fere annis post in Asiam uenisset, ut pacem componeret cum Mithridate rege (iam pulso) Dardani anno a. Chr. 84. Intellegendi autem sunt Magnetes, qui ad Maeandrum sedebant, ubi pulcherrimum Dianae fuit templum Leucophryenae. Quod quidem delubrum *ἀσυλίαν* seruauit usque ad Tiberii aetatem, quo tempore senatus asylo denuo tribuebat priuilegium uetus.[4]

33. De Nysae Cariae urbis uel eius uiciniae asylo eiusque iure habemus titulum[5] anno a. Chr. n. primo tribuendum ut indicant Cossi Cornelii Lentuli Lucii Pisonis coss. nomina in tituli praescriptis posita. Quoad concludi potest ex fine tituli haud integro, Cn. Lentuli Auguris Asiae proconsulis secuta est de asyli Nysaeensium iure ab eo confirmato epistula, quam scripserat ut uidetur proconsul, postquam

---

[1] uid. Boeckh., C. I. G. II pag. 495.
[2] l. c.
[3] Tacit., ann. III 62.
[4] Tacit., ann. III 63 in fine.
[5] C. I. G. II n. 2943.

uetustum de diis Nysae cultis (*περὶ τῶν θεῶν*[1]) eorumque asyli iure (*τῆ[ς] ἱκεσίας*[2]), de templi denique immunitate documentum in tabulario Nysae urbis adhuc seruatum et ab Artemidoro quodam ex urbis Nysae praetoribus[3] suo iussu ut cognosceret traditum examinauit.

Apparet ex his asylum de quo agitur iam ante Cn. Lentuli Auguris in Asiam aduentum Nysae uel in eius ut probabilius est uicinia floruisse; sed quo anno primum ei asyli ius tributum sit statuere nemo poterit; certe inde ab anno a. Chr. n. primo asyli iure gaudebat templum, neque priuilegium illud amisisse uidetur Tiberii temporibus, quamquam a Tacito nihil de Nysaecensium templo eiusque asyli iure petito memoratur; quod contineri poterat sententia Taciti hac: 'auditae aliarum quoque ciuitatium legationes'.[4]

Strabone[5] autem testante prope Nysam urbem '*ἐν δὲ τῇ ὁδῷ τῇ μεταξὺ τῶν Τραλλέων καὶ τῆς Νύσης, κώμη τῶν Νυσαέων ἐστὶν οὐκ ἄπωθεν τῆς πόλεως Ἀχάρακα, ἐν ᾗ τὸ Πλουτώνιον, ἔχον καὶ ἄλσος πολυτελὲς καὶ νεὼν Πλούτωνός τε καὶ Κόρης, καὶ τὸ Χαρώνιον, ἄντρον ὑπερκείμενον τοῦ ἄλσους θαυμαστὸν τῇ φύσει.*' Itaque '*Πλουτώνιον*' illud et lucum opulentum, cui subiectum est '*Χαρώνιον*' antrum mirabile et Plutonis Proserpinaeque fanum continens, asylum fuisse Nysaeense satis probabile est, praesertim cum in titulo supra laudato de pluribus diis ('*περὶ τῶν θεῶν καὶ τῆς ἀσυλίας αὐτ[ῶ]ν*'[6]) agi apertum sit.

Ceterum Plutonis et Proserpinae effigies non raro inueniuntur in Nysae urbis nummis, imprimis imperatoriis.[7] Quare si Strabonis testimonium comparamus utrumque numen

---

[1] l. c. lin. 10.

[2] l. c. lin. 11.

[3] ut Boeckhius '*τῶν . . . . . στρατηγῶν*' l. c. lin. 8—9 tituli nostri intellegit.

[4] Tacit., ann. III 63.

[5] Strab. XIV 1 § 44 pag. C 649.

[6] C. I. G. II n. 2943 lin. 10.

[7] Mionnet., Descr. de méd. III pag. 362 n. 343. 346. 347; pag. 363 n. 349; pag. 364 n. 357; pag. 365 n. 361; pag. 366 n. 369; pag. 367 n. 374; pag. 368 n. 380.

inter principes urbis deos habitum esse certum est. Typus autem nummorum illorum est 'Pluto rapiens Proserpinam in quadrigis', qui quidem spectat ad '*ΘΕΟΓΑΜΙΑ*', qui ludi — memorantur enim in nummo quodam Valeriani ad Nysam urbem pertinente [1] — in honorem Plutonis et Proserpinae Nysae instituti cum annuo quodam festo erant coniuncti.[2] Itaque iam propter eximiam Plutonis et Proserpinae religionem et mores ritusque in iis colendis singulari modo obseruatos [3] haec numina asyli de quo agitur praesides fuisse deos uerisimile est, ut tituli locus [4] '*περὶ τῶν θεῶν καὶ τῆς ἀσυλίας αὐτ[ῶ]ν*' recte ad Plutonem et ad Proserpinam videatur referri.

49. Stratonicenses attulere 'recens diui Augusti decretum' [5], quo Jouis et Triuiae templorum asyli ius tuebantur apud senatum Romanum anno p. Chr. n. 22. Priuilegium enim illud iis ab Augusto tributum erat propter fidem in populum Romanum constanter seruatam, cum Parthi Asiae prouinciae bellum intulissent Orode I. regnante eiusque filio Pacoro duce; quo facto omnes urbes Asiae a Romanorum imperio defecerunt et in Parthorum uoluntate concesserunt dicionem Stratonicea urbe excepta;[6] '*τῇ γὰρ Στρατονικείᾳ πολὺν μὲν προσήδρευσε χρόνον, οὐδένα δὲ αὐτὴν τρόπον ἑλεῖν ἠδυνήθη*',[7] (sc. Pacorus). Quam ob constantiam anno a. Chr. n. 40. uirtute praestitam ab Augusto imperatore Tacito testante [8] laudati et priuilegiis ornati sunt Stratonicenses.

Neque igitur facere possum, quin quae in titulo quodam [9] nobis seruato leguntur: '*τὴν πόλιν* (sc. Stratonicensium) *ἄνωθεν* (h. e. anno a. Chr. n. 40.) *τῇ τῶν προεστώτων αὐτῆς μεγίστων*

[1] uid. Eckhel., D. N. V. II p. 589.

[2] Strab. XIV 1 § 44 pag. C 649; Eckhel., D. N. V. II p. 588.

[3] Strab. l. c.

[4] C. I. G. II n. 2943 lin. 10.

[5] Tacit., ann. III 62.

[6] uid. Cass. Dion. XLVIII 26, 3 '*τῆς Ἀσίας τὰς ἠπειρώτιδας πόλεις παρεστήσατο πλὴν Στρατονικείας*' sc. Pacorus.

[7] Cass. Dio. l. c.

[8] Tacit., ann. III 62.

[9] C. I. G. II n. 2715$^{a}$ lin. 2—3.

θεῶν, [Διὸς τοῦ Π]ανημε[ρίου καὶ Ἑκ]άτης (sc. praesidio siue tutela) ἐκ πολλῶν καὶ μεγάλων καὶ συνεχῶν κινδύνων (a Pacoro Orodis filio instantium) σεσῶσθαι', ad idem periculum a Parthis dicto anno paratum referenda esse censeam.

Cum uero Taciti uerbis Stratonicenses, ut religionem Jouis et Triuiae tuerentur, Augusti nisi esse decreto dicantur, nostro titulo et Jouis Πανημερίου et Hecates siue Triuiae templum asyli iure 'δόγματι Σε[βαστοῦ Καίσαρος καὶ] τῆς τῶν κυρίων Ῥωμαίων αἰωνίου ἀρχῆς' praeditum esse demonstratur.[1] Quin etiam ipsius Augusti habemus decreti fragmentum uerum, (si quidem Newtonii[2] sententia rem tetigit acu), cuius fecit mentionem Tacitus;[3] quo in decreto[4] de templi Ἑκάτης[5] asyli iure[6] aliisque, quantum nos quidem ex fragmento uehementer corrupto concludere possimus, priuilegiis Stratonicensibus ob bellum feliciter pro sua propria nec non populi Romani salute ab iis gestum datis facta sunt uerba.[7]

Accedit aliud populi Laginensis decretum, cuius in initio legitur[8] 'Σώτειρα', Hecates Triuiae cognomen, quod ad idem spectare uidetur periculum Parthico illo bello deae auxilio feliciter defensum, de quo supra diximus; quam ob rem agrum 'ἐν Ἀλωσσῷ καὶ Κορόλλου φυλῇ' situm deae 'χαριστήριον', ut opinor, obtulerunt Laginenses, Stratoniceae urbis suburbani.

Asylum Stratonicensium situm fuit prope templa et Jouis et Hecates in Stratoniceae urbis agro suburbano h. e. Laginis condita teste Strabone:[9] 'ἔστι δ' ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Στρα-

---

[1] l. c.

[2] uid. a history of discoveries at Halicarnassus, Cnidus and Branchidae. London 1863. tom. II p. 794 'perhaps the very decree granted by Augustus, which Tacitus mentions' ....

[3] Tacit., ann. III 62.

[4] uid. Newton., l. c. n. 99 (tom. II pag. 795).

[5] l. c. lin. 9. Ἑκάτης ἐπιφανεστά[της ...

[6] l. c. lin. 11 .... ὅπως τοῦτο τὸ ἄσυ[λον ...

[7] l. c. lin. 1. sqq. ... κ]αὶ νόμοις καὶ ἐθισμ[οῖς ....] ὅπως χρῶνται, ὅσα τε[δίκαια ἔλαβον? πο]λέμου ἕνεκεν, ὃν πρὸς βασ[ιλέα ...... (fortasse Orodem I. eiusque filium Pacorum, Parthorum et regem et ducem) .... gesserunt .... τ]αῦτα πάντα κύρια ὦσιν ....

[8] Newton., l. c. II p. 793 n. 98 lin. 1.

[9] Strab. XIV 2 § 25 pag. C 660.

*τονικέων δύο ἱερά, ἐν μὲν Λαγίνοις τὸ τῆς Ἑκάτης ἐπιφανέστατον πανηγύρεις μεγάλας συνάγον κατ᾽ ἐνιαυτόν*.

Templa autem illa duo erant et Jouis Panhemerii et Hecates Triuiae, cui in decreto Laginensium[1] cognomen tribuitur 'Σώτειρα'. Et agrum quidem illum sacrum, a Laginorum populo Hecatae Σωτείρᾳ 'χαριστήριον' oblatum,[2] partem effecisse Hecates asyli in titulo altero[3] Stratonicensi memorati Newtonius recte suspicatur. Ceterum Lagina unacum tribubus suis, quarum mentio fit 'Ἀλωσσῷ καὶ Κορόλλου φυλῇ'[4] continentur territorio templi Hecates quod dicebatur 'περιπόλιον',[5] et cum Hecates templum Laginis ipsis situm sit, agrum illum deae dedicatum ad asylum Hecates Triuiae spectasse satis probabile est.

Sed hoc urgendum uidetur, utrumque templum et Jouis Panhemerii et Hecates Σωτείρας fuisse asylum neque duo inter se coniuncta exstitisse templa; nam et Strabo de duobus fanis loquitur in Stratonicensium agro sitis et in titulo nostro[6] legitur ,τὰ ἱερὰ ἄσυλα' Stratonicensium, quod ad aliud referri non potest, nisi ad duo illa Jouis Panhemerii et Hecates Triuiae uel δᾳδοφόρου[7] templa.

Priuilegium autem iuris asyli his duobus templis tribuebatur ab Augusto aut cum bello Alexandrino in Antonium feliciter gesto in Asiam reuersus, hieme annorum a. Chr. n. 29. et 28. hiberna ageret, quo tempore etiam de Parthorum rebus arbitri partes susceperat, aut cum posteriore tempore rursus in Asia moratus Samum in hiberna bis se recepisset testante Strabone[8] circa uel paulo post annum a. Chr. n. 20., quo signa quoque militaria annis a. Chr. n. et 53. et 36. cum a Crasso tum ab Antonio triumuiris pugna aduersa relictis acceperat a Parthorum rege, Phraate IV., qui antea Antonii uictor, recenti Augusti fortunae cedere erat coactus;

---

[1] uid. Newton., l. c. n. 98 lin. 1.
[2] uid. l. c. n. 98 lin. 1—5.
[3] uid. l. c. n. 99 lin. 11.
[4] uid. l. c. n. 98 lin. 4—5.
[5] uid. C. I. G. II. n. 2715a lin. 16.
[6] uid. C. I. G. II. n. 2715a lin. 3.
[7] ut ex. gr. legitur de eadem dea C. I. G. II n. 2720 lin. 3—4.
[8] XVII 1 § 54 pag. C 821.

tunc demum Augustus, interim imperator appellatus, idque uno ut probabile est eodemque tempore quo instituta sacra, uelut puerorum ὑμνῳδία, ob defensam et feliciter prohibitam urbis expugnationem a Parthis instantem erant deuota a Stratonicensibus, ut iisdem bene de Romanis meritis gratiam referret, deorum urbis eorum praesidum templa asyli iure ornauisse uidetur.

Vota autem illa Stratonicensium iam priore aetate esse facta nihil est cur probemus, praesertim cum tituli nostri [1] uerbis 'τὴν πόλιν ἄνωθεν . . . . ἐκ πολλῶν καὶ μεγάλων καὶ συνεχῶν κινδύνων σεσῶσθαι' urbis posterius indicatur temporis momentum. Accedit quod post oppugnationem a Pacoro Stratoniceae urbi illatam et feliciter a Stratonicensibus propulsatam minime sublatus erat timor nouae irruptionis Parthorum, cum Parthi, quamuis a Ventidio anno a. Chr. n. 38. uicti essent pugna nimis a Romanis celebrata, tamen clade maxima Antonium triumuirum affecissent anno a. Chr. n. 36., quo facto orientales Romanorum res non mediocriter periclitatae esse uidentur. Anno demum a. Chr. 20., cum signa et aquilas unacum captiuis Romanis ab Augusto petitis reddere coactus esset Parthorum rex Phraates IV., tum demum omnia pericula a Parthis usque eo instantia feliciter effugerant Stratonicenses. Itaque tum quidem ὑμνῳδίαν et quae cum ea erant coniuncta patriis diis, periculorum uindicibus, uouisse uidentur. Quamquam certi quidquam de hac re statui non potest.

Quae quidem titulo nostro continentur, qualis nunc exstat, fortasse Tiberii temporibus composita sunt, quibus de templorum suorum asyli iure eiusque auctoritate et fide ad senatum Romanum Stratonicensibus erat referendum. Certe ante annum p. Chr. n. 22. monumentum nostrum ortum esse censeo.

Stratonicensium autem asylorum iura denuo a senatu Romano confirmata sunt.[2]

53. De Trallensium asylo Dionyso Bacchio consecrato

[1] uid. C. I. G. II n. 2715a lin. 2.
[2] Tac., ann. III 63.

testis est titulus[1] ualde suspectus. Nam ut docet 'ὅρος', in quo incisum est decretum, Trallenses statuerunt mense septimo anni septimi regni Artaxerxis III. Ochi h. e. teste Boeckhio[2] mense Aprili uel Maio anni a. Chr. n. 351. 'ἱκετηρίην εἶναι Διονύσωι Βακχίωι τῶι δημοσίωι, ἱκέτην μὴ ἀδικεῖν'.[3] Dionyso igitur Bacchio 'τῶι δημοσίωι'[4] esse asyli ius, ita ut supplicem intra fines eos, quibus contineatur τέμενος Dionysi ἄσυλον, iniuria afficere nemini liceat. Asylum autem etsi quo loco Trallensium urbis statutum sit nesciamus, tamen cum eiusdem urbis templo Dionysi fuisse coniunctum probabile est.

Annorum autem digestionem, si temporis rationem spectas in nostro titulo habitam, non esse ueram prima specie inuenies. Nam Idrieus[5] qui dicitur satrapes anno Artaxerxis III. Ochi regnantis septimo nondum erat Cariae satrapes, sed Artemisia, eius uxor.[6] Praeterea iam ob totius decreti formulam tribuendi asyli iuris haud usitatam[7], de falso quodam et subiecto decreto cogitemus nobis licebit, quod quidem mirum non uidetur.

Hoc quidem pro certo haberi potest titulum ut nunc exstat non esse saeculo a. Chr. n. IV. Artaxerxe regnante conscriptum propter annorum perturbationem, sed multo recentioris esse aetatis, quia litterarum formae ad Romanorum aetatem spectant. Trallensium decretum ad primum p. Chr. n. saeculum pertinere mihi uidetur.

Fortasse exemplum uerum erat amissum, quo fieri potuit ut Trallenses ex memoria decretum restituere conarentur iis temporibus, quibus iussi erant Romam legatos mittere, ut templi Dionysi asyli ius niterentur et demonstrarent patribus. Trallensium quidem asyli iuris petitionem non commemorauit Tacitus; sed si omnino miserunt legatos atque

---

1 C. I. G. II n. 2919.

2 Boeckh., C. I. G. II ad n. 2919.

3 C. I. G. II n. 2919 lin. 5 sqq.

4 sic sine ulla analogia appellato.

5 C. I. G. II n. 2919 lin. 3—4.

6 cf. Diod. XVI 45 § 7.

7 nota ex. gr. ὅρος — ἱερὸς ἄσυλος pro τέμενος ἱερὸν κτλ. — ἱκετηρίην(?).

iura, comprehendit eos Tacitus dicens: 'auditae aliarum quoque ciuitatium legationes'; et asylum siue uerum erat siue usurpatum a Romanis haud dubie disquisitione peracta confirmatum est secundum Taciti narrationem.[1]

Atque cum nulla alia inueniatur et causa et ratio, qua commoti uel coacti Tralleuses tale decretum componere potuerint, nisi Tiberii illud edictum, quo referrent ciuitates de priuilegiis asylorum ad senatum Romanum, aliter fieri non potest quam ut anno fere p. Chr. n. 22. decretum illud a Trallensibus asyli tuendi causa esse compositum uel restitutum affirmemus.

ad n. 6.

## ASYLUM GALATIAE.

Ancyra urbs, ut equidem puto, in nummo Valeriani asylum appellatur honorifice: '*ANKYPAC.AC.B.N.*', quamquam Eckhelius uir doctus τὸ '*AC.*' significare *ACKΛΗΠΕΙΑ* maluit;[2] nam propter *B.N.* sequens *ACKΛΗΠΕΙΑ* interpretari posse τὸ '*AC*' minime credo, cum ludorum nusquam mentio fiat in nummis ita, ut ludorum nomen exstet inter urbis nomen et titulum honorarium.

Quare maiorem ueri habeat speciem Ancyram urbem, Galatiae metropolin, etiam fuisse asylum, quod quidem cum Aesculapii templo cohaesisse ualde uerisimile est; cuius in honorem urbs illa splendidissimos celebrabat ludos '*Ἀσκλήπεια*';[3] nam Aesculapii cultus apud Ancyranos erat antiquissimus et celeberrimus.[4] Sed interdum id in dubio relinquamus.

De tempore asyli ne eodem quidem habemus quod disputemus, nisi asylum illud (coniectura nostra nisum) floruit sub imperatorum Romanorum dominatione, proprie quidem Valeriani.

ad n. 7. cf. n. 1.

---

[1] Tacit., ann. III 63.

[2] Eckhel., D. N. V. III p. 178.

[3] Mionnet., Descr. de méd. tom. IV p. 385.

[4] cf. Krause, Neocoros pag. 76.

ad n. 8. 11. 27. 40. 46.

## ASYLA SELEUCIDIS.

8. De Antiochiae urbis asylo testis est pondus in Syria repertum, in quo exstat titulus honorarius: 'Ἀντιοχέων τῆς μητ[ροπό]λεως καὶ ἱερᾶς καὶ ἀσύλου καὶ αὐτονόμου',[1] sollemnis ille iam dudum ante annum a. Chr. n. 57. uel 56., cui tribuendum est pondus anno VII. epochae Pompeianae ad annum a. Chr. n. 64. spectantis signatum.[2]

Jam urbis asylum praedicant septem nummi Antiochiae, quorum unus spectat ad annum a. Chr. 40.,[3] alii temporis sunt incerti. Elogium nummorum accuratissimum hoc est: 'ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ.ΤΗΣ.ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ.ΤΗΣ.ΙΕΡΑΣ.ΚΑΙ.ΑΣΥΛΟΥ.ΚΑΙ.ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ.'[4] Quamuis autem ea notio sero admodum occurat in nummis, tamen asylum Antiochenorum iam multo prius floruisse constat idque inferius apparebit.

Ceterum quamuis Antiochia Epidaphnes urbs praedicetur ut uidimus in nummis nonnullis 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος,' tamen templum illud asyli iure gaudens non ab ipsa Antiochia urbe petendum est. Eckhelius enim recte, credo, Antiochiam urbem haud dubie ob religionem uicini sacrique luci Daphnes et sacram et asylum dictam esse censuit.[5] Nam cum Daphne suburbio artissime cohaeret Antiochia ita, ut separari non posse uideantur inter se, quod iam Seleucus Nicator, Syriae rex, utriusque loci conditor, uoluit, cum Justino testante[6] 'post mortem Alexandri occupato regno Orientis urbem condidisset (sc. Antiochiam) ibique geminae originis suae, (et Apolline et Antiochio patribus), memoriam consecrauisset.' Nam et urbem,' pergit Justinus, 'ex Antiochi patris nomine

[1] uid. C. I. G. II n. 4476a.

[2] uid. C. I. G. II n. 4476b 'ἔτους ἑβδόμου δημοσία μ[ν]ᾶ'.

[3] *BOΣ.* h. e. ann. 272. aer. Seleucid; cf. Mionnet., Descr. de méd. ant. V pag. 151 n. 37; Eckhel., D. N. V. III p. 268.

[4] Mionnet., l. c. V pag. 152 n. 42; Suppl. VIII pag. 126 n. 16. Eckhel., D. N. V. III p. 271.

[5] D. N. V. III p. 270 sq.

[6] XV 4 § 7 et 8.

Antiochiam uocauit et campos uicinos urbi Apollini dicauit', qui campi nihil aliud sunt nisi lucus magnus et opacus[1] cum Daphne uico prope ad urbem situs. Ceterum Daphne Antiochiae urbis quasi appendix nominari potest, quia quaecunque ibi facta dicuntur solis ab Antiochenis eorumque regibus facta et instituta sunt, uelut ludi in honorem Apollinis et Dianae celebrati, quorum mentio fit et apud Liuium[2] et apud Polybium.[3] In utroque autem fonte Antiochus IV. Epiphanes, priore loco cum nondum fuisset Syriae rex, secundum Polybium per triginta dies[4] ludos ad Daphnen celebrauit, qui ab ipso Seleuco Nicatore in Apollinis patris honorem instituti esse uidentur. Neque uero solum ob ludorum dierumque festorum claritatem Daphne erat celeberrima, sed etiam propter *τεμένους* illius asyli ius prope ad Apollinis et Dianae templum siti, quod priuilegium ad ipsum Apollinis filium Nicatorem referre minime dubito. Ceterum persaepe conuenerunt Antiocheni Daphnen ut festa ludosque celebrarent testante Strabone.[5]

Quare Antiochiam ipsam urbem ab huius Daphnes luco sacro et templo '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*' notionem accepisse non mirum uidetur. Asylum autem illud unacum templo Apollinis eiusque Dianae sororis medium tenebat locum ipsius luci sacri, qui habuit ambitum octoginta stadiorum.[6] Itaque Apollo et Diana asylo illo eiusque iure gaudebant inde fere ab initio saeculi a. Chr. n. tertii. Exstat autem in Maccabaeorum libro[7] exemplum, quod affirmat in Apollinis et Dianae illud asylum supplices sese rettulisse, ut effugerent mortis pericula. Onias enim III., Judaeorum pontifex (195—175 a. Chr. n.), quem laudat Maccabaeorum liber[8] 'prouisorem ciuitatis suae ac defensorem gentis suae et aemulatorem legis Dei', cum Simon quidam ei maledixisset apud Antiochum IV. Epiphanem,

---

[1] Strab. XVI 2 § 6 p. C 750.

[2] XXXIII 49, 6.

[3] in fragm. libr. XXXI 3, 1.

[4] l. c. '*ἐπιτελεσθέντων δὲ τῶν ἀγώνων ..... κατὰ τριάκονθ' ἡμέρας*'.

[5] l. c.

[6] Strab. XVI 2 § 6 p. C 750.

[7] II 4, 33.

[8] II 4, 2.

Syriae regem, et Jason, Menelaus, alii summum Judaeorum sacerdotium ambirent, sese contulit ad Syriae regem, ut pax rebus uehementer turbatis daretur; sed cum Menelaus ille uitae eius pararet insidias, Onias in asylum 'Antiochiae Epidaphnes' sese recepit. Sed cum de asylo procedere ausus esset, statim interfectus est ab Andronico, Menelai satellite.[1]

'Quam ob causam non Judaei[2] solum, sed aliae quoque nationes indignabantur.' Antiochus autem Epiphanes rex cum ex Cilicia regressus de nece Oniae iniusta certior esset factus, 'animo contristatus propter Oniam et flexus ad misericordiam, lacrimas fudit, recordatus defuncti sobrietatem et modestiam; accensisque animis Andronicum necatorem purpura exutum per totam ciuitatem iubet circumduci et in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat sacrilegum uita priuari.'[3]

Nota denique dignum uidetur, etiam legatos misisse Antiochum 'καὶ θεωρούς' per urbes Graecas, qui 'τοὺς ἐσομένους ἀγῶνας ὑπ' αὐτοῦ ἐπὶ Δάφνης' nuntiarent et Graecos inuitarent[4] ad festum ludosque Daphnes in honores Dianae atque Apollinis celebrandos.

11. Apamensium urbs asylum appellata esse uidetur propter Jouis Baetocaeceni religionem in pago uicino, Baetocaece dicto, summo cum studio seruatam.

Habemus enim titulum de Jouis Baetocaeceni asylo, quo continentur duae epistulae, altera imperatorum Romanorum, Publii Licinii Valeriani, Publii Licinii Gallieni, Licinii Cornelii Salonini intra annos 252 et 259 scripta,[5] altera Antiochi cuiusdam regis Syriae[6] et pars psephismatis Augusto imperatori publice ab Apamensibus[7] missi.[8]

---

1 Maccab. II 4, 34.

2 l. c. II 4, 35—38.

3 l. c.

4 Polyb., in fragm. libr. XXXI 3, 1.

5 cf. C. I. G. II n. 4474 lin. 1—14.

6 l. c. lin. 15—45.

7 'ψήφισμ[α] τῆς πόλεως' uerba (l. c. lin. 46) haud dubie de Apamensium urbe sola dicta esse possunt. An Baetocaecenorum 'κώμη' fortasse ,πόλις' appellanda fuerit? — Quare initio Apameam urbem asylum praedicari conieci propter Jouem Baetocaecenum asylo gaudentem.

8 l. c. lin. 46—58.

Jouis Baetocaeceni cultus ut describitur epistula altera[1] Baetocaece in pago institutus est ab Antiocho quodam Syriae rege. Qui Antiochus fuerit, quamuis difficile sit certi quidquam de ea re statuere, tamen haec habeo quod moneam Boeckhii coniecturam improbans, qua Antiochum XIII. Epiphanem[2] et cultum et asylum Jouis instituentem facit uir doctus nescio quibus rebus nisus. Hoc enim certum uidetur per deum Jouem Baetocaecenum aliquid Antiochum illum assecutum esse,[3] quam ob rem gratiae referendae causa ut eximio modo coleretur deus curauit. Neque uero quisquam alius Antiochus respiciendus est, nisi is qui cum Apamensibus aliquando habuit res ita, ut prope ad Apameam urbem in periculo esset, quod bene effugisse uidetur Jouis Baetocaeceni auxilio. Quae cum ita sint de nullo alio cogitari potest, ut opinor, nisi de Antiocho VII. Euergete, Demetrii I. filio, qui capto a Parthis Demetrio II. fratre ab huius uxore Cleopatra ad regnum et tori societatem euocabatur, ut Thryphonem usurpatorem (in Secoanis Apamensium castello natum)[4] regno expelleret, quod anno a. Chr. n. 143. inuadit et aduersus Demetrium II. confirmat.[5] Antiochus autem circa annum a. Chr. n. 139. bellum in Tryphonem mouit eumque expugnata Apamea urbe, ultimo eius refugio, captum interemit (a. 138.).

Quae postquam auxilio, ut uidetur, Jouis Baetocaeceni feliciter perfecit, Antiochus concessit deo in omne tempus ‘τὴν κώμην τὴν Βαιτοκαι[κηνῶ]ν’.

Templum autem huius dei asyli iure ornauit Antiochus: ‘κ[α]ὶ εἶνα[ι] τὸ μὲν ἱερὸν ἄσυλον,’[6] cuius quidem ἀσυλία partim cessit ad pagum ipsum Baetocaecenorum ita ut ‘ἀνεπίσταθμος’[7] esset h. e. liber ab officio recipiendorum tectis militum regis.

1 l. c. lin. 15—37.

2 Jam multo prius inde ab anno a. Chr. n. 105. titulus honorarius ‘ἱερὰ καὶ ἄσυλος’ exstat in nummorum Apameae urbis elogiis; sed Antiochus XIII. circa annum demum a. Chr. n. 69. in auitum restitutus est regnum.

3 quod colligi potest ex uersibus 18—22 tituli nostri C. I. G. II n. 4474.

4 Eckhel., D. N. V. III p. 233.

5 l. c. p. 234.

6 C. I. G. II n. 4474 lin. 37.

7 l. c. lin. 37.

Puto igitur ab Antiocho VII., qui non sine ratione ut aduersari se ostenderet moribus Tryphonis, Syris propter crudelitatem exosi, 'εὐεργέτου' sumpserit titulum,[1] scriptam esse epistulam,[2] qua tribuit Baetocaecenis, Apamensium uicinis, priuilegia. Hoc modo etiam fieri potuit, ut iam inde ab anno a. Chr. n. 105., Antiocho VIII. Epiphane regnante, Antiochi VII. filio, Apameam praedicarent nummi 'ἱερὰν καὶ ἄσυλον,' qui quidem titulus honorarius constanter inde ab huius regis aetate apparet usque ad annum p. Chr. n. 14., quo mortuus est diuus imperator Augustus.[3] Ab hoc ipso imperatore Romano petierunt Apamenses psephismate misso, ut priuilegia sibi manerent incolumia, cultoribus omnibus Jouis Baetocaeceni praebentes et ἀσυλίαν et ἀσφάλειαν et ἀτέλειαν, quae quidem notiones insunt his, quae sequuntur: 'μηδὲ ἐ[π]ιχ[ε]ιροῦντος ἢ ὀχλοῦντος προφάσει παροχῆς κ[α]ὶ τέλους καὶ ἐπηρεί[α]ς [τι]νὸς ἢ ἀπαιτήσαιως. ἀνδράποδα δὲ κ[α]ὶ τετράποδ[α] καὶ λοιπ[ὰ] ζῶα ὁμοίως πολείσθω ἐν τῷ τό[π]ῳ χωρὶς τέλους ἢ ἐπηρείας τιν[ὸ]ς ἢ ἀπαιτήσαιως.'[4]

Iterum rectorem prouinciae adierunt Apamenses, qui ut ex imperatoribus Romanis qui tum erant peteret, ut seruarentur beneficia regum et imperatorum uetera, de quibus cum Apamensibus contenderunt aduersarii nescio qui,[5] ut docet titulus:[6] 'remota uiolentia part[i]s aduersae incolumia nobis manere curabit.' Quod quidem factum est imperantibus P. Licinio Valeriano, P. Licinio Gallieno, Licinio Cornelio Salonino inter annos p. Chr. n. et 253. et 259., quorum iussu

[1] Eckhel., D. N. V. III p. 236.

[2] C. I. G. II n. 4474 lin. 15—45.

[3] Mionnet., descr. de méd. V pag. 219 n. 537—541; pag. 220 n. 542—545. 550; pag. 221 n. 555—557; pag. 222 n. 560—568; pag. 223 n. 569—572; pag. 224 n. 576—579; pag. 225 n. 580. 581. 583. — Suppl. VIII p. 154 n. 149. 151. 152; pag. 155 n. 153. 154; pag. 152 n. 139 —143; pag. 153 n. 144—145. — Eckhel., D. N. V. III p. 307 n. 6. 10. 12. 13. 15. 16. 17; p. 308 n. 18. 19. 21. 22.

[4] C. I. G. II n. 4474 lin. 51—59.

[5] Fortasse Persae, qui eodem fere tempore Antiochiam a Marea quodam (cf. tit. nostr. lin. 9) fortiter defensam obsederunt, ad quem ipsum imperatorum referendum est responsum.

[6] l. c. lin. 12—14.

prouinciae qui erat rectori incolumia erant seruanda Apamensium priuilegia, 'regum beneuolentia accepta et huc usque consuetudine insecuti temporis adprobata remota uiolentia partis aduersae.'[1]

27. Laodicea ad mare, Syriae urbs, 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος' in titulo quodam ad Augusti fere aetatem pertinente[2] appellata est. Laodicenses enim honorant decreto illo Theopompum Cnidium 'εὐνοίας ἕνεκεν',[3] qui erat teste Strabone[4] diui Augusti imperatoris amicus. Priuilegia illa honorum titulis praedicata Laodicensibus, qui et ''Ἰουλιεῖς',[5] fortasse per C. Julium Caesarem obuenerunt, qui Syriis urbibus praecipuus erat beneficiorum auctor,[6] cum anno a. Chr. n. 47. in Pharnacem ex Aegypto profectus urbibus nonnullis praestantioribus beneficia impertiuisset,[7] ex quo tempore fortasse floruit etiam asylum Laodicensium. Sed ad cuius numinis templum pertinuerit Laodicensium asyli ius difficile est ad statuendum. Hoc dici potest, 'eximium fuisse apud Laodicenses Dianae cultum; nam Dianae Tauricae simulacrum ab Oresta Brauronem Atticae delatum atque inde a Persis Susa asportatum Seleucus Laodicensibus permisit, ut refert Pausanias'.[8] Eiusdem Dianae apud Laodicenses religionis titulus quoque Traiano imperante anno p. Chr. 115. positus facit mentionem; atque Lampridius[9] Dianae simulacrum Laodiceae adhuc Elagabali aetate exstitisse tradit. Denique in nummis Laodiceae urbis Diana persaepe comparet.[10] Quare hoc celeberrimum Dianae templum asylum nostrum, fortasse ab ipso Caesare conditum, fuisse satis uerisimile est.

[1] l. c. lin. 10—14.

[2] uid. Newton, a hist. of discov. at Halicarnassus, Cnid. and Branch. London 1863. tom. II pag. 711 n. 11.

[3] l. c. lin. 5.

[4] Strab. XIV 2 § 15 pag. C 656.

[5] Newton., l. c. lin. 1.

[6] Caes., Bell. Alex. 65, 4.

[7] cf. Eckhel., D. N. V. III p. 425.

[8] Paus. III 16. 7; cf. Eckhel., III p. 317.

[9] Script. hist. Aug. rec. Peter I p. 207.

[10] cf. Mionnet., Descript. de méd. V p. 93 n. 820—824; p. 243 n. 680; p. 244 n. 689. 690; p. 245 n. 700; p. 247 n. 709; p. 253 n. 753; p. 256 n. 772; p. 261 n. 796.

40. Rhosus urbs quinque nummis '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*' uocatur, quorum tres anni 272. *ΓΟΒ* aerae ut par est Seleucidarum praebent notam: '*ΡΩΣΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. Ε. ΓΟΒ*'.[1] Spectant igitur hi nummi ad annum a. Chr. n. 40., quorum elogia ad Julii Caesaris expeditionem in Pharnacem anno a. Chr. n. 48. confectam referamus, qua occasione etiam Laodicensibus (cf. ad n. 27) et Ptolemaidensibus priuilegium *ἀσυλίας* aliaque beneficia a Caesare tributa esse uidentur. Habemus praeterea duos nummos alios,[2] quorum epigraphe est: '*ΡΩΣΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣ*'. et .... '*ΡΩΣΕΩΝ*. . . . . . *ΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ*'. At nummi imperatorii titulis his prorsus abstinent. De temporibus asyli nostri, quibus re uera sit statutum quibusque floruerit Rhosi, adhuc nihil erui potest certi. Sed nota dignum uidetur in nummis urbis nostrae interdum conspici pileos Dioscurorum.[3] Fortasse templum horum deorum, qui colebantur a Rhosiis, asyli iure gaudebat.

46. Seleucia Syriae primum uocatur '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*' in nummo Antiochi VII., qui signatus est anno Seleucidarum aerae *ΕΟΡ* h. e. anno a. Chr. n. 137., quo regnante aut paulo ante hos honores urbs nacta esse uidetur, cum in nummo quodam autonomo per annum eiusdem aerae *ΓΞΡ* h. e. anno a. Chr. 146. signato urbs iis adhuc careret.[4] Epigraphe nummi illius haec est: '*ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΜΠΙΕΡΙΑΙ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ* . . . . . *ΑΣΥΛΟΥ*'.[5] Praeterea leguntur hi tituli in nummo autonomo sic: '*ΙΕΡ. ΑCΥ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. CΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΠΕΙΕΡΙΑC. ΖΕΥC. ΚΑCΙΟC*. . . . . *Ε*' (annus 5. aerae Seleuciae urbis ipsius ab autonomia h. e. ab anno a. Chr. n. 109. ductae),[6] quam ob rem hic nummus spectat ad annum a. Chr. n. 104.[7] In imperatoriis nummis nusquam occurrit *ἄσυλος* elogium. Floruit igitur asylum Seleuciae urbis

---

[1] Mionnet., l. c. V p. 269 n. 836. 837.
[2] Mionnet., l. c. n. 834. 838; Eckhel., D. N. V. III p. 324.
[3] Mionnet., l. c. V p. 269 n. 834. 836. 837.
[4] Eckhel., D. N. V. III p. 326.
[5] Mionnet., l. c. V p. 271 n. 842; Eckhel., l. c. III p. 324 n. 2.
[6] Mionnet., l. c. p. 276 n. 884; Eckhel., l. c. III. p. 325 n. 12.
[7] Eckhel., l. c. III p. 327.

certe sub Antiocho VII. rege, inde fere ab anno a. Chr. n. 146. et adhuc anno a. Chr. n. 104. exstitit. De posteriore asyli statu et condicione nihil nouimus. Dedicatum autem uidetur fuisse Joui Ceraunio, quem summa religione Seleuciae cultum esse apparet ex nummis ipsum Jouis Ceraunii nomen praebentibus, uelut duobus Caracallae:[1] '*CEΛEYKEΩN. ZEYC. KEPAYNIOC*', quae epigraphe in utroque nummo prorsus consentit. Urbis Seleuciae patronus atque deus praeses fuisse uidetur Juppiter Ceraunius, quod colligi potest ex Appiano[2] de Seleuco conditore loquente 'in condenda ad mare Seleucia secutum esse augurium fulminis', quam ob rem Jouis Ceraunii cultum tamquam patrium a Seleuco institutum et a Seleuciae ciuibus constanter seruatum esse uerisimile est.

Accedit quod etiam Hesychius uerbo *Κεραύνιος* addidit '*καὶ Ζεὺς ἐν Σελευκίᾳ*'. Praeterea permulti Seleuciae nummi Jouis habent caput, quorum postica constanter fere fulminis typum exhibet,[3] nimirum constanter ad Jouem referendum *Κεραύνιον*. Itaque asylum Seleuciae urbis huic deo praesidi atque patrono dedicatum fuisse statuamus licebit.

ad n. 9. 17. 31. 45. 50.

## ASYLA CILICIAE.

9. Unus tantum nummus Antiochenorum urbem, quae et Adana uocatur, '*ἱερὰν καὶ ἄσυλον*' praedicat. Quae quidem elogia leguntur in nummo M. Aurelii imperatoris: '*ANTIOX. IEP. KAI. ACYΛ. Π. CAPON . . . . POB*' (ann. 172.)[4]

Antoninorum igitur aetate urbis templum aliquod asyli iure praeditum erat.

17. Coryci urbis asylum haud dubie Mercurio deo erat sacratum; a Coryciotis imprimis cultum fuisse eum primo loco nummi docent; nam saepe Mercurii occurrit typus, uelut in

---

[1] Mionnet., l. c. V p. 279 n. 909. 910.

[2] Appian., Syr. cap. 58.

[3] uelut nummi apud Mionnet., l. c. p. 272 n. 845. 847; p. 273 n. 849 850. 853. etc.

[4] Mionnet., l. c. III p. 561 n. 117; Eckhel., l. c. III p. 47.

nummis autonomis duodecim ni fallor,[1] et Caracallae[2] et Macrini[3] et Gordiani Pii;[4] tum uero Mercurius in hymno Orphico *Κωρυκιῶτα* dicitur;[5] accedit praeterea epigrammatis testimonium ab Archia quodam confecti:[6]

*Ἑρμῆ Κωρυκίων ναίων πόλιν, ὦ ἄνα χαίροις*
*Ἑρμῆ, καὶ λιτῇ προςγελάσαις ὁσίῃ,*

quibus testimoniis Mercurius deus tamquam Coryciotarum numen proprium praedicatur. Quare huius dei templo asyli ius sine dubio adhaesit. Sed priuilegium illud *ἀσυλίας* recentiore demum aetate imperatorum Coryciotis obuenit atque solis in Valeriani nummis circa medium saeculum p. Chr. n. III. cusis epigraphe conspicitur, quae laudat Corycum urbem asylum: '*ΚΟΡΥΚΙΩΤΩΝ. ΑСΥ. ΝΑΥΑΡΧΙС*'.[7]

31. Elogia '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*' confirmantur titulo, qui urbem Mopsuestiam sic laudat: ''*Ἀδριανῆς Μοψουεστίας τῆς Κιλικίας ἱερᾶς καὶ ἐλευθέρας καὶ ἀσύλου καὶ αὐτονόμου καὶ φίλης καὶ συμμάχου Ῥωμαίων ἡ βουλή κτλ.*' pertinet autem titulus ad annum p. Chr. n. 140.[8] Praeterea de asylo Mopsuestiae nihil constat.

45. Sebaste insula ad Ciliciam sita sex nummis laudatur '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*', qui sunt Commodi et Crispinae singuli, bini Septimii Seueri et Gordiani Pii. Elogia autem eorum in alio nummo aliter composita atque ordinata sunt.[9] Utrum a Commodo Romanorum imperatore templum insulae Sebastes aliquod priuilegio *ἀσυλίας* ornatum sit an id iam antea a nescio quo principe Romano factum sit prorsus nescimus; certe inde a Commodi usque ad Gordiani Pii aetatem constanter floruit asylum insulae nescio cui numini sacratum.

---

[1] Mionnet., l. c. III p. 573 n. 176. 177; p. 574 n. 179—183. Suppl. VII p. 203 n. 214—217; p. 204 n. 218.

[2] l. c. Suppl. VII p. 205 n. 224.

[3] l. c. III p. 575 n. 187.

[4] l. c. Suppl. VII p. 206 n. 228.

[5] Hymn. Orph. XXVII u. 3.

[6] Brunck., Anal. II p. 97 n. 20.

[7] Eckhel., l. c. III p. 53.

[8] C. I. G. III p. 771 ad n. 5885 et II p. 813 ad n. 3457.

[9] Mionnet., Descr. de méd. III pag. 660 n. 632—634; Suppl. VII pag. 295 n. 564—566.

50. '*ΤΑΡΣΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ*'.[1] unica est epigraphe nummi alicuius autonomi, qui Tarsum sacrum et asylum praedicat; praeterea nusquam neque in autonomis neque in imperatoriis Tarsi nummis occurrit elogium illud. Iniuria autem, ut puto, Eckhelius[2] nummi illius lectionem in suspicionem uocauit: neque enim quidquam est cur ea diffidamus. Sed cui tempori tribuendum sit nummus dici non potest. Asyli autem Tarsensium deus praeses, ex cuius religione huic urbi elogia '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*' obuenerunt, fortasse Juppiter erat Nicephorus, cuius typus persaepe inuenitur in nummis Tarsi, praesertim autonomis.[3] Constat autem insignem eius fuisse in hac urbe cultum, a quo nomen quoque tulit '*Διὸς Τερσίου*'.[4]

### ad n. 10. 20. 39.

### ASYLA GALILAEAE.

10. Antiocheni Ptolemaidis ob eiusdem templi *ἀσυλίαν* eiusdemque numinis religionem honorum titulis '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*' gaudebant atque ipsi Ptolemaidenses. Nam et hi et illi honorantur talibus elogiis in nummis nonnullis. Sunt autem autonomi nummi, in quibus epigraphe occurrit haec: '*ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. ΙΕΡΑΣ. ΑΣΥΛ*'.[5] uel . . . . '*ΡΑΣ. ΑΣ*.'[6] et Antiochi VIII. et Cleopatrae, in quo legitur: '*ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. ΙΕΡΑΣ. ΑΣΥΛΟΥ*'.[7] Neque iniuria Eckhelius uir doctus etiam nummi cuiusdam, qui idem est autonomus, epigraphen: '*ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑ. . . . ΑΣΚ. Α*.'[8] sic interpretatus est: '*ΑΣυλου Και Αυτονομου*'.[9] At-

[1] Mionnet., l. c. III p. 622 n. 408; Eckhel., l. c. III p. 72.

[2] Eckhel., l. c.

[3] Mionnet., l. c. III p. 620 n. 395. 396; p. 621 n. 397. 398; p. 622 n. 409. 410. 411. 412; p. 623 n. 413—416, alibi.

[4] cf. Eustath. ad Dionys. Perieg. V 868.

[5] Mionnet., l. c. V p. 217 n. 525; Eckhel., l. c. III p. 305.

[6] Mionnet., l. c. n. 529.

[7] Mionnet., l. c. p. 218 n. 533; Eckhel., l. c. III p. 305.

[8] Mionnet., l. c. p. 217 n. 526; Eckhel., l. c. III p. 305 et 307.

[9] D. N. V. III p. 307.

que quoniam in nummis Antiochenorum, quos extra Antiochiam signatos esse ipsa epigraphe docet, saepe proponitur caput Antiochi IV. Epiphanis diadematum radiatum, a uero haud abhorret eo regnante peregrinis Antiochenis, uelut Antiochenis ad Daphnem, Antiochenis ad Callirrhoen, Antiochenis Ptolemaidis, iura quaedam fuisse constituta, quod idem opinatus est Eckhelius.[1] Vtrum uero asyli ius ab eodem rege sit profectum necne dici non potest. Ceterum neque de tempore, quo Antiochenis nostris ἀσυλίας priuilegium obuenerit, neque de numine, cui asylum eorum dedicatum fuerit, certi quidquam statui potest.

20. Diocaesarea Galilaeae asylo eiusque iure gaudebat inde fere ab Antonini Pii aetate usque ad Elagabalum. Elogia nummorum huc spectantium sunt: '*ΔΙΟΚΑΙ. ΙΕΡ. ΑΣΥΛ. ΑΥΤΟ*'. nummorum duorum Antonini Pii[2] uel '*ΙΕΡΑ. ΑΣΥ. ΑΥΤΟ*'. eiusdem imperatoris[3] uel '*ΔΙΟΚ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΑΥΤ*'.... Caracallae[4] uel '*ΔΙΟΚ . . . . ΑΣΥ*'. Elagabali.[5] Sed cuius numinis templum asylum illud fuerit nescimus.

39. Ptolemaidensium urbs Galilaeae asylo gaudebat iam anno a. Chr. n. 43. testante nummo, cuius epigraphe haec est: '*ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΕ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ ΑΣΥ. ΑΥ. L. Ε*'. (anni 5. aerae Ptolemaidensium ab anno a. Chr. n. 48. ductae).[6]

Moneamus licebit hoc loco de Caesare, Syriae urbium nonnullarum fautore praecipuo, ad cuius beneuolentiam non pauca referenda sunt urbium beneficia atque priuilegia ab eo anno a. Chr. n. 47. tributa. Ad hunc fere annum referamus

---

[1] l. c. p. 306.

[2] Mionnet., l. c. V pag. 483 n. 48; Eckhel., l. c. III p. 425. Mionnet., l. c. Suppl. VIII p. 331 n. 33.

[3] Mionnet., l. c. Suppl. VIII p. 331 n. 34; Eckhel., l. c. III p. 425.

[4] Mionnet., l. c. V pag. 483 n. 50; Eckhel., l. c. III p. 426.

*ΔΙΟΚΙ*
*ΕΡΑΣΥΛ*
*ΑΥ Τ Γ Ι Φ Ε*
*ΙΕΡΒΣΚΑ*
*ΔΡ*

[5] Mionnet., l. c. Suppl. VIII pag. 332 n. 35.

[6] Mionnet., l. c. Suppl. VIII p. 325 n. 5.

etiam Ptolemaidensium priuilegium asyli iuris,[1] quo gloriantur tres nummi autonomi '*ΠΤΟΛΕΜΛΙΕ. ΙΕΡΑC. ΚΑΙ. ΑCΥΛΟΥ*'[2] uel '*ΠΤΟΛΕΜΑΙ. ΙΕΡΑΣ. ΑΣΥΛΟΥ*'.[3] Praeterea si nummum priore loco laudatum excipias, unus praebet lectionem '*ΠΤΟΛ . . . . . ΙΕΡΑ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ* cum nota aerae *ΚΡ* (anni 120. aerae Ptolemaidensium, h. e. p. Chr. n. 72.). Ceterum neque de temporibus, quibus omnino floruerit asylum Ptolemaidis urbis, quod idem fuisse atque Antiochenorum Ptolemaidis satis probabile est (cf. ad n. 10), neque de deo uel dea asyli praeside certi quidquam statui potest.

ad n. 11 et 12.

cf. n. 8 et 5.

ad n. 13. 25.

## ASYLA JUDAEAE.

13. Ascalon Judaeae urbs celeberrima haud dubie Aphrodites Uraniae asylo gaudebat, ex cuius deae religione etiam honorum tituli urbis Ascalonitarum fluxerunt. Elogia 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος' iam in nummo argenteo Antiochi VIII., regis Syriae, occurrunt, anno *ΕΣ* aerae Seleucidarum h. e. a. Chr. 108/7. signato. Hoc quidem anno Ascalon adhuc Seleucidis paruit. Quattuor annis post Ascalon nouam instituit aeram ob autonomiam constitutam (104 a. Chr.) excusso Seleucidarum iugo.[4] Ex hac autonomiae aetate duo nummi urbem praedicant Ascalonitarum 'ἱερὰν καὶ ἄσυλον', quorum epigraphe haec est: '*ΑΣΚΑ. ΙΕΡΑ. Κ. Α.*'[5] et '*ΑΣΚΑ. ΙΕΡ. ΑΣ. Κ. ΑΥ*'.[6] Antiochi VIII. regis nummus anno *ΕΣ* signatus hanc habet lectionem: '*ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΣ. ΙΕΡ. ΑΣΥ.*'[7] His aliisque omnibus titulis prorsus abstinet in imperatoriis

---

[1] Eckhel., D. N. V. III p. 425.
[2] Mionnet., l. c. V p. 474 n. 2 et 3; Eckhel., l. c. III p. 423.
[3] Mionnet., l. c. Suppl. VIII p. 325 n. 4.
[4] Eckhel., D. N. V. III p. 346 sq.
[5] l. c. p. 444; Mionnet., l. c. V p. 524 n. 45.
[6] Mionnet., l. c. Suppl. VIII p. 366 n. 26.
[7] Mionnet., l. c. V p. 525 n. 52; Eckhel., l. c. III p. 444.

nummis Ascalon.[1] Quare asyli iure inde ab Antiochi VIII. temporibus usque ad dominationem Romanam praeditum fuisse uidetur Ascalonitarum templum Veneris Uraniae. Huius deae fanum quin fuerit asylum minime dubitari potest, quia Aphrodite exstitit dea urbis Ascalonitarum praeses.

25. De Gazaeorum asylo certiores facti sumus et titulo et nummo. Atque nummus tribuendus est anno a. Chr. 46. uel 45., signo *IΓ* aerae Gazaeorum ab anno a. Chr. 62.[2] ducendae praedito; titulus[3] autem spectat ad Gordianum III., Romanorum imperatorem, per annos 238—244. p. Chr. regnantem.

Nummus ille autonomus Gazam urbem praedicat '*ἱερὰν καὶ ἄσυλον*' hoc modo: '*ΔΗΜΟΥ. ΓΑΖΑΕΩ. ΙΕΡ. ΑΣΥ.*'[4] Marmor autem modo laudatum uariis titulis celebrat Gazam urbem, quorum praecipua exstant eadem '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*' elogia.[5] Honoratur hoc titulo M. Antonius Gordianus imperator, qui cum anno p. Chr. 241. ad bellum in Persas gerendum in Syria esset moratus Gazaeorum deis colendis imprimis ut uidetur fauit, quapropter a Gazensibus '*θεοφιλέστατος κοσμοκράτωρ*'[6] oraculi dei patrii iussu[7] per Tiberium Claudium Papirium, '*ἐπιμελητὴν τοῦ ἱεροῦ*',[8] appellatur atque '*εὐεργέτης*' Gazae urbis.[9]

Quaerendum autem nobis erit, quisnam fuerit ille patrius deus et cuinam numini asylum Gazae urbis tribuendum sit?

Deus ille Gazaeorum patrius *Μαρνᾶς* uocabatur. *Μαρνεῖον* autem erat templum eius, quod dicebatur Cretagenis Iouis, quod existimabant esse gloriosius omnibus templis, quae

---

1 Eckhel., l. c. D. N. V. III p. 346.

2 Stark., Gaza und die philistaeische Küste. Jena 1852.

3 C. I. G. III n. 5892.

4 Mionnet., l. c. V pag. 535 n. 109; Eckhel., D N. V. III p 449.

5 C. I. G. III n. 5892 lin 8—9.

6 C. I. G. III n. 5892 lin. 6—7.

7 l. c. lin. 11.

8 l. c. lin. 14.

9 l. c. lin. 13; cf. Stark., Gaza pag. 554 sq.

ubique sunt; Marnam uero dicunt esse Jouem.[1] Quod quidem templum a Gazaeis celeberrimum omnium iudicatum asyli iure ornatum fuisse uix neget quisquam. Sed ad quem auctorem priuilegium illud asyli iuris referendum sit, ad Pompeium Magnum, qui Hierosolymis anno a. Chr. 63. expugnatis Gazam aliasque urbes *ἐλευθερίας* priuilegio aliisque beneficiis ornauit, an ad Gabinium, an ad alium quis est qui demonstret? Nam per Pompeium, a quo constat Gazaeorum aeram ducendam esse h. e. ab autumno (28. Oct.) anni a. Chr. 62.,[2] etiam templi Marnae *ἀσυλίας* beneficium assequi potuit Gaza urbs. Sed eodem iure de Gabinio cogitari potest tamquam auctore asyli Gazaeorum, praesertim cum denuo *κτίζειν* iussisset urbes deletas, inter quas ipsa exstitit Gaza, quas haud dubie priuilegiis ornauit et auxit.

Quare in uniuersum ad dominationem Romanorum Syriae primum institutam referamus priuilegium iuris asyli Marneio templo Gazaeorum tributo. Seruauit autem templum *ἀσυλίαν* certe usque ad medium p. Chr. n. saeculum tertium.

ad n. 14.

## ASYLUM TRACHONITIDIS, ITURAEAE.

Accedamus ad Caesaream urbem Paniadem, quae multis praedicatur nummis '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*'. Primum occurrit elogium illud in nummis duobus Caligulae, quorum alter habet lectionem: '*ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. ΑΣΥΛΟΥ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΒΑΣΙΛΕΥ.*',[3] alter hanc praebet epigraphen: '*ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΑΣ. ΙΕ*'[4] . . . . ., quam Eckhelius uir doctus suo iure sic interpretatus est: '*ΚΑΙΣΑΡειας ΣΕΒΑΣΤης ΑΣυλου ΙΕρας.*'[5] Signatus est nummus anno *Γ*, quae littera annum

[1] Marc. diac. in uita S. Porphyr. in Act. Sanct. Boll. T. V p. 665; Eckhel., l. c. III p. 450.

[2] Stark., Gaza pag. 514.

[3] Eckhel., l. c. III p. 491.

[4] l. c. p. 471 et 492.

[5] rationibus in D. N. V. III p. 491 et 492 allatis.

haud dubie principatus Agrippae tertium significat h. e. annum p. Chr. n. 39/40., qui quidem est Agrippa I. Magnus, annis inde a 37. usque ad annum p. Chr. 44. Judaeae princeps. Inde fere ab hoc anno 39. uel 40. p. Chr. Caesarea, Panias uocata, templo asyli iure praedito gaudebat, quod priuilegium mansit usque ad Elagabalum nummorum testimonio. Sunt autem nummi tres M. Aurelii,[1] unus Lucillae,[2] quattuor Commodi,[3] duo Septimii Seueri,[4] duo Juliae Domnae,[5] unus Caracallae,[6] duo denique Elagabali.[7] De asylo autem ipso, cui numini fuerit sacratum difficilis quaestio. Cogitari potest Panos templo priuilegium ἀσυλίας adhaesisse, ex cuius summa apud Caesarienses religione haud dubie ipsum montis cuiusdam Panii nomen ortum est urbi imminentis nec non urbis Caesareae ipsius. Nam 'secutis temporibus Caesarea Philippi cognominata est' Philostorgius tradit,[8] addens haec: 'Sed cum gentiles Panos simulacrum in ea collocassent in Paneados uocabulum transiit'. Praeterea *Πανεῖον* quoddam exstitit, specus a Josepho peramoena et aquis diues laudata, prope ad urbem; quid igitur mirum, si huic ipsi deo eiusque templo asyli ius tributum sit? praesertim cum typus dei Panos obuius sit in nummis uelut Lucillae,[9] M. Aurelii,[10] Septimii Seueri,[11] Getae,[12] Aquiliae Seuerae.[13] Attamen ut certi quidquam statuamus fieri non potest.

---

1 Mionnet., l. c. V. p. 312 n. 10. 11; Suppl. VIII p. 218 n. 4; Eckhel., l. c. III p. 341.

2 Mionnet., l. c. V p. 313 n. 13.

3 Mionnet., l. c. V p. 313 n. 15; Suppl. VIII p. 218 n. 5—7; Eckhel., l. c.

4 Mionnet., l. c. V p. 313 n. 16; Suppl. VIII p. 218 n. 8; Eckhel., l. c.

5 Mionnet., l. c. V p. 313 n. 17; Suppl. VIII p. 219 n. 9.

6 Mionnet., l. c. Suppl. VIII p. 219 n. 10.

7 Mionnet., l. c. V. p. 315 n. 22; Suppl. VIII p. 219 n. 11.

8 VII 3.

9 Mionnet., l. c. V p. 313 n. 13. 14.

10 l. c. p. 312 n. 10.

11 l. c. p. 313 n. 16.

12 l. c. p. 314 n. 20.

13 l. c. p. 315 n. 23.

ad n. 15.

## ASYLUM COELESYRIAE.

Capitolias Coelesyriae urbs '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*' uocatur in nummis qui sunt inde a Marco Aurelio. Epigraphe eorum est ex. gr. nummi M. Aurelii '*ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩΝ. ΙΕΡ. ΑΣ. ΑΥ*'.[1] uel '*Ι. ΑΣ*'. eiusdem imperatoris,[2] uel '*Ι. Α. Α*'. (*Ιερα Ασυλος Αυτονομος*) Lucii Veri[3] et Commodi[4] uel '*ΚΑΠΙΤΩ. ΙΕΡ. ΑΣ. ΑΥ*'. Septimii Seueri;[5] Getae nummi autem lectionem '*Ι. Μ. Α. Κ. Γ. ΚΑΠ. Ι. Α. Α*'. Liebeus Eckhelio probante sic interpretatus est:[6] '*Ιουλια Μητηρ Αντωνεινου Και Γετα ΚΑΠιτωλιεων Ιερας Ασυλου Αυτονομου*'.[7] Sed quo pertineant elogia illa '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*' dubium est; fortasse ex Jouis Capitolini religione, a quo urbi nomen est inditum cuiusque typus etiam occurrit in nummis,[8] fluxerunt.

ad n. 16. 19. 22. 29. 48. 52.

## ASYLA JONIAE.

16. Inter *ἄσυλα*, quae piratae saeculo a. Chr. n. primo exciderunt, primo loco nominatur *τὸ Κλάριον*,[9] Apollinis delubrum satis illustre atque prope ad Colophonem urbem cuius in dicione erat situm.

Quocum erat Apollinis oraculum coniunctum, cui iidem praeerant Branchidae, qui Milesii uel Didymaei Apollinis seruiebant oraculo. Neque raro templis eiusmodi cum oraculis coniunctis asyli ius adhaesit, quod imprimis propter eximiam eorum numinum uenerationem et religionem iis obuenit, uelut oraculo Delphico, Didymaeo, aliis. Utrum post praedationem

[1] Mionnet., l. c. V p. 281 n. 1.
[2] l. c. n. 2.
[3] l. c. Suppl. VIII p. 192 n. 1.
[4] l. c. V p. 282 n. 5.
[5] l. c. V p. 282 n. 6.
[6] Eckhel., D. N. V. III p. 328.
[7] l. c. p. 328; Mionnet., l. c. V p. 282 n. 7.
[8] Mionnet., l. c. V p. 282 n. 6.
[9] Plut., Pomp. cap. 24.

a piratis confectam asylum adhuc exstiterit atque floruerit necne, prorsus dici non potest.

19. 29. Secundo loco Plutarchus[1] 'τὸ Διδυμαῖον' nominauit inter ἄσυλα καὶ ἄβατα ἱερά, a piratis saeculo a. Chr. n. primo spoliata; quo in templo summus erat Apollinis Didymaei cultus, praecipue a Milesiis seruatus et auctus. Summa erat auctoritate templum illud, cuius oraculo Branchidae, Apollinis sacerdotes, praefuerunt iam priscis illis temporibus, ubi omnia oraculorum iussu a Graecis acta atque perfecta sunt neque minoris fuisse uidetur momenti idem oraculum in emittendis coloniis Milesiorum atque ipsum Apollinis oraculum Delphicum in Graecorum Europae. Quid mirum, quod etiam asyli iure gaudebat delubrum sanctitate atque uetustate summa insigne?

Secundum Strabonem[2] 'ἐνεπρήσθη ὑπὸ Ξέρξου καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα ἱερά'. Praeterea autem priuilegium inuiolabilitatis seruauit Didymaeum per omne tempus, si piratarum Ciliciensium praedationes saeculo a Chr. n. primo confectas excipias.[3]

Posteriore tempore Milesii asyli ius templi Apollinis Didymaei denuo petierunt a senatu cum Tiberio imperante legatos ad defendenda uetera templi priuilegia mittere essent iussi; nam quin de huius ipsius templi ἀσυλίας beneficio cum senatu egerint Milesii anno p. Chr. n. 22. minime dubium esse potest.[4] Reuocabant autem Milesii asyli ius ad Dareum regem, qui fuisset auctor huius eximii priuilegii. Haud dubie de Dareo III. nobis cogitandum est, Alexandri Magni aduersario, quod iam ex sententiarum ordine apud Tacitum seruato apparet. Confirmauit autem senatus iterum Apollinis Milesii uel potius Didymaei ἀσυλίαν.

22. Ephesiorum asylum inter omnium Graecorum celeberrima numerandum est asyla iam propter Dianae religionem, qua gaudebat dea in templo suo longe lateque celebrato; quod fanum asyli ius habuit inde ab antiquissimis temporibus, ut

---

1 Plut., Pomp. cap. 24.

2 Strab. XIV 1 § 5 p. C 634.

3 Plut., Pomp. cap. 24.

4 Tacit., ann. III 63; Strab. l. c., ubi dicuntur Milesii τοῦ Διδυμέως Ἀπόλλωνος cultores.

Taciti locus docet:[1] 'Atque ipsum illic (sc. in Dianae templo et asylo) Apollinem post interfectos Cyclopas Jouis iram uitauisse. Mox Liberum patrem bello uictorem supplicibus Amazonum, quae aram insederant, ignouisse. Auctam hinc concessu Herculis, cum Lydia potiretur, caerimoniam templo; neque Persarum dicione deminutum ius (sc. asyli): post Macedonas, dein nos seruauisse'. Quae uerba demonstrant, Dianae Ephesiae templum, qua erat religionis caerimoniarumque claritate,[2] antiquitus iure asyli fuisse praeditum. Tum uero ex Taciti narratione de fabulosa asyli nostri aetate tradita *ἀσυλίαν* templi constanter ab Ephesiis esse seruatum apparet; 'neque Persarum dicione deminutum ius', quod siue decretis renouauerunt et confirmauerunt siue silentio transmiserunt reges Persarum: 'post Macedonas, dein nos (sc. Romanos) seruauisse' deae asylum probatur et distinctius circumscribitur Strabonis loco, ubi dicit auctor,[3] 'quamuis caerimoniae, quibus utebantur Dianae Ephesiae et sacerdotes et cultores, magis minusue iam neglectae sint, *ἄσυλον δὲ μένει τὸ ἱερὸν καὶ νῦν καὶ πρότερον. τῆς δ' ἀσυλίας τοὺς ὅρους ἀλλαγῆναι συνέβη πολλάκις, Ἀλεξάνδρου μὲν ἐπὶ στάδιον ἐκτείναντος, Μιθριδάτου δὲ τόξευμα ἀφέντος ἀπὸ τῆς γωνίας τοῦ κεράμου καὶ δόξαντος ὑπερβαλέσθαι μικρὰ τὸ στάδιον, Ἀντωνίου δὲ διπλασιάσαντος τοῦτο καὶ συμπεριλαβόντος τῇ ἀσυλίᾳ μέρος τι τῆς πόλεως· ἐφάνη δὲ τοῦτο βλαβερὸν καὶ ἐπὶ τοῖς κακούργοις ποιοῦν τὴν πόλιν, ὥστ' ἠκύρωσεν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ*'.

Tiberio autem imperante 'primi omnium Ephesii adiere,'[4] ut quo iure asylum Dianae niteretur demonstrarent et iuris asyli confirmationem iterum impetrarent a senatu, penes quem *ἀσυλίας* tribuendae tum temporis erat potestas h. e. anno p. Chr. n. 22.[5]

Sed etiam a senatu Romano anno p. Chr. 22. Ephesiis eorumque deae Dianae denuo constitutum et confirmatum est asyli illius celeberrimi ius, quod etiam posteriore tempore prae-

---

[1] ann. III 61.

[2] Strab. XIV 1 § 23. pag. C 641.

[3] l. c.

[4] Tacit., ann. III 61.

[5] Tacit., ann. III 60 et 61.

dicatur nummis Ephesi urbis imperatoriis, quorum Domitiani nummus (ad annos p. Chr. n. 81 - 96. pertinens) lectionem exhibet hanc: '*ΙΕΡΕΥΣ. ΑΥΡ. ΜΟΥΣΟΝΙΟΣ. ΑΣΥΛΟΥ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΕΦΕΣΙΩΝ*',[1] Otaciliae, Philippi senioris uxoris, nummus (ad annos p. Chr. n. 244—249. spectans) praebet: '*ΑΡΤΕΜΙC. ΕΦΕCΙΑ. ΑCΥΛΟC*'.[2] Accedunt duo nummi et Philippi iunioris et Etruscillae eandem Dianam Ephesiam '*ἄσυλον*' eloquentes'.[3]

Itaque asylum Dianae Ephesiae per omnia antiquitatis tempora omnibus supplicibus exstitisse refugium exoptatum constat, idque nummis testantibus ad tertium usque p. Chr n. saeculum floruit.

Imprimis autem debitoribus, qui ad asylum Dianae Ephesiae confugiebant, dea praebuit incolumitatem et tutos a creditoribus praestitit eos et intactos, cum eos ab aere alieno soluendo liberaret, ut tradidit Plutarchus.[4] Quare non mirum uidetur quod Augustus imperator partem Ephesi urbis eam, quam asyli iure donauerat Antonius, priuilegio iterum priuauit. Nam quam mali esse potuerit exempli Antonii illud priuilegium optime ex Taciti uerbis cognosci potest, quae sunt:[5] 'complebantur templa pessimis seruitiorum: eodem subsidio obaerati aduersum creditores receptabantur', quae quidem uerba imprimis de nostri asyli debitoribus praecipue praesidium praebentis usu malo dicta esse uidentur.

Testimonia quoque exstant nonnulla rerum scriptorum, quae confirmant Dianae Ephesiae eiusque templi asyli ius.

Antonius enim triumuir secundum Appiani testimonium[6] omnibus pepercit Bruti et Cassii, Caesaris dictatoris percussorum, sociis, qui in Dianae Ephesiae confugerant templum ibique supplices sederant, Petronio et Quinto quibusdum ex-

---

[1] Eckhel., D. N. V. II p. 519.

[2] l. c.

[3] Mionnet., Descr. de méd. III pag. 120 n. 432; pag. 121 n. 442.

[4] Plut., moral. V., de uitando aere alieno cap. 3. ed. Tauchnit. 1820. '*ἡ μὲν γὰρ Ἄρτεμις ἡ ἐν Ἐφέσῳ τοῖς χρεώσταις, ὅταν καταφύγωσιν εἰς τὸ ἱερὸν αὐτῆς, ἀσυλίαν παρέχει καὶ ἄδειαν ἀπὸ τῶν δανείων.*'

[5] Tacit., ann. III 60.

[6] Appian., de bell. ciuil. V 4.

ceptis, quorum alter caedis conscius erat in Caesare perfectae, alter proditionis erat accusatus.

Mithridatico autem bello Romanis ipsis nihil profuit Dianae eiusque templi *ἀσυλία*, nam eodem Appiano testante [1] Ephesii supplices Romanos e Dianae templo ab ipsarum statuarum complexu distractos interficiebant, quod 'οὐ φόβῳ Μιθριδάτου μᾶλλον, ἢ μίσει Ῥωμαίων' perfecisse uidentur.

Porro ex Ciceronis exemplo serui supplicis quod attulit [2] apparet seruis quoque patuisse asylum illud ut perfugium, attamen simul docet Ciceronis narratio magistratus Romanos, penes quos erat Asiae imperium prouinciae, interdum, prout libuit, asyli ius uiolasse. Nam cum M. Aurelius Scaurus, qui consul fuit anno a. Chr. n. 107., ut id faceret sibi tum quaestori Epheso in urbe licuisse putaret Romaeque accusaret atque argueret Periclem quendam Ephesium, quod impediuisset, quominus e fano Dianae seruus suus qui in illud asylum confugisset abduceretur, Ephesius ille, homo nobilissimus, iniuriam se non fecisse arbitratus est, si deae asyli ius exercens quaestorem uel ui prohiberet, quominus abduceret ex asylo seruum.

Denique Antonii triumuiri, ut uirtus cognoscitur in parcendo amicis Bruti et Cassii, ita licentiam Cassius Dio [3] testatur, secundum quem amore Cleopatrae prorsus captus et suis eiusque cupiditatibus seruiens et alia perfecerat flagitia et 'τοὺς ἀδελφοὺς αὐτῆς (sc. Cleopatrae) ἀπὸ τοῦ ἐν Ἐφέσῳ Ἀρτεμισίου ἀποσπάσας ἀπέκτεινεν', quod idem fecit uir, qui Ephesiorum asyli summus erat auctor atque fautor.

48. Apud Smyrnaeos Veneris Stratonicidis templum tamquam aylum exstitisse ex titulo nouimus,[4] in quo dicta sunt, quae Smyrnaei per Seleucum II. Callinicum, Syriae regem, assecuti sint beneficia: 'ἐβεβαίωσεν τῷ δήμῳ τὴν αὐτονομίαν καὶ δημοκρατίαν, ἔγραψεν δὲ καὶ πρὸς τοὺς βασιλεῖς καὶ τοὺς δυνάστας καὶ τὰς πόλεις καὶ τὰ ἔθνη, ἀξιώσας ἀποδέξασθαι

---

[1] Appian., de bell. Mithrid. XXIII.
[2] Cicer., in Verr. act. II lib. I 33 § 85.
[3] XLVIII 24, 2.
[4] C. I. G. II n. 3137 lin. 12.

*τό τε ἱερὸν τῆς Στρατονικίδος Ἀφροδίτης ἄσυλον εἶναι καὶ τὴμ πόλιν ἡμῶν ἱερὰν καὶ ἄσυλον*.[1]

Itaque Seleucus rex ipse per legatos, qui epistulam ciuitatibus traderent, missos ex singulis ciuitatibus urbibusque et singulis dynastis regibusque petiuit priuilegium *ἀσυλίας* illud, quo ab omnibus concesso Venerem Stratonicidem deam affecit, templum deae asylorum honore atque dignitate ornans. Eodem modo urbem ipsam Smyrnaeorum Callinicus appellauit sacrosanctam '*ἱερὰν καὶ ἄσυλον*', eodem sensu quo id elogium legitur in permultis urbium Asiae minoris Syriaeque nummis. Neque defuerunt Smyrnaei, cum Tiberio imperatori 'ut mitterent ciuitates iura atque legatos' placuisset anno p. Chr. n. 22., ut defenderent asylum eiusque religionem.[2]

*Στρατονικίς* autem dea appellata est, cui *ἄσυλον* nostrum dedicatum est, propter cultum '*Ἀφροδίτης τῆς Στρατονικίδος*' a Smyrnaeis institutum in honorem deae Stratonices, Seleuci Callinici auiae, Antiochi Dei, qui erat pater Callinici, matris.[3] Cui Veneris Stratonicidis templo Seleucus Callinicus[4] '*εὐσεβῶς τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς διακείμενος φιλοστόργως τὰ πρὸς τοὺς γονεῖς*', h. e. '*τὸμ πατέρα θεὸν Ἀντίοχον καὶ τὴμ μητέρα τὴν τοῦ πατρὸς, θεὰν Στρατονίκην*'[5] tribuit asyli ius, cum ex bello priore contra Ptolemaeum Euergeten, Aegypti regem, a se infeliciter gesto reuersus Smyrnaeis, qui titulo nostro testante[6] uni omnium Asiae ciuitatum per hoc belli prioris tempus fidem in Seleucum constanter seruauerunt, gratiam esset acturus, '*μεγαλόψυχος ὢν καὶ ἐπιστάμενος χάριτας ἀποδιδόναι τοῖς ἑαυτὸν εὐεργετοῦσιν*' (scil. Smyrnaeis).[7]

Asyli ius tribuebatur Smyrnaeorum templo Veneris Stratonicidis circa annum a. Chr. n. 245., certe ante foedus a Smyrnaeis et Magnetibus anno a. Chr. n. 244. factum;[8]

[1] l. c. lin. 11—12.
[2] Tacit., ann. III 63.
[3] uid. Boeckh., C. I. G. II pag. 699.
[4] C. I. G. II n. 3137 lin. 6.
[5] l. c. lin. 9.
[6] l. c. lin. 1—5.
[7] l. c. lin. 7.
[8] uid. Boeckh., C. I. G. II pag. 698.

quod ius sibi seruauerant 'Zmyrnaei' usque ad Tiberii tempora, quibus quamuis in defendendo asyli iure 'obscuris initiis' nisi essent,[1] tamen iterum acceperunt postulati priuilegii confirmationem a senatu Romano anno p. Chr. n. 22. Tiberio imperante.[2]

52. Teiorum asyli celeberrimi nobis sunt testes inscriptiones undetriginta uariis temporibus Teo in urbe repertae, nunc apud Le Bas et Waddington[3] in unum corpus collectae, quae ad unam omnes pertinent ad *ἀσυλίαν* a multis Graecis populis, ciuitatibus, urbibus nec non a Romanis Teiorum territorio sacro et urbi et toti eius agro tributam, quo facto illud *τέμενος*, quo tota urbs eiusque ager, homines, res continebantur, Bacchi dei exstitit territorium sacrosanctum uel *ἄσυλον*.

Baccho enim deo uel Dionyso Teii totam urbem et agrum consecrasse atque in perpetuum dedicasse[4] testantur permulti loci decretorum a ciuitatibus exteris ad confirmandum Teiorum asyli ius confectorum, ubi non raro laudibus efferuntur Teii, quod hac eximia religione affecerint deum '*Διόνυσον, ᾧ καὶ καθιερῶσθαι συνβέβακε* (sc. Teiis) *τάν τε πόλιν καὶ τὰν χώραν*'.[5] Tituli alii Teiorum agrum uocant: '*τὰν χώραν τὰν καθιερωμέναν τῷ Διονύσῳ*'[6] uel urbem '*τὰν πόλιν* . . . . . *καθιερωμέναν τῷ Διονύσῳ*'.[7] Secundum alia decreta Teiorum legati, qui ius asyli impetrarent, missi apud ciuitates praesertim Cretenses locuti sunt '*περὶ τοῦ γενέσθαι τὰν καθιέρωσιν τῷ Διονύσῳ τᾶς τε πόλιος καὶ τᾶς χώρας τὰς Τηΐων κτλ.*'[8] uel *περί τε τῷ θεῷ* (sc. Bacchi) *καὶ τᾶς καθιερώσεως τᾶς πόλεως καὶ τᾶς χώρας*' (sc. Teiorum),[9] uel *περὶ ἀσυλίας καὶ καθιερώσιος*

[1] apud senatum retulerunt Smyrnaei asyli ius ad oraculum Apollinis, cuius iussu Stratonicidi Veneri templum dicauissent.

[2] Tacit., ann. III 63.

[3] voy. arch. Asie mineure tom. III n. 60—85.

[4] *καθιερόω* uel *καθιερεύω*, unde *καθιέρωσις* dedicatio, consecratio.

[5] Le Bas., Asie mineure III n. 75 lin. 12 et n. 77 lin. 12.

[6] l. c. n. 76 lin. 19.

[7] l. c. n. 77 lin. 7.

[8] l. c. n. 70 lin. 7 sq.; n. 72 lin. 7 sq.; n. 74 lin. 7 sq.

[9] l. c. n. 71 lin. 8 sq.; n. 73 lin. 6 sq.

τὰς τῶν Τηΐων πόλιος καὶ τᾶς χώρας';[1] multi denique alii loci 'τὰν καθιέρωσιν τῷ Διονύσῳ τᾶς τε πόλεος καὶ τᾶς χώρας τᾶς Τηΐων'[2] comprobant.

Constat enim Dionysum nusquam tanto studio tantoque ardore cultum esse nisi apud ipsos Teios, quorum summum dei cultum laudabant ex. gr. Eleuthernaei Cretae haec Teiis scribentes: 'δεδόχθαι τοῖς κόσμοις καὶ τᾷ πόλει τῶν Ἐλευθερναίων ἀποκρίνασθαι Τηΐοις φίλοις καὶ οἰκείοις οὖσιν, διότι τά τε περὶ τὸν Διόνυσον καὶ αὐτοὶ σεβόμεθα καὶ τὸν ὑμῶν (sc. Teiorum) δᾶμον ἀσπαζόμεθά τε κηπαινίομεν, διότι καλῶς καὶ ἱεροπρεπῶς καὶ παταξίως τῷ θεῷ διεξάγοντες, οὐ μόνον καθὼς πὰρ τῶν προγόνων παρέλαβον διαφυλάσσοντες, ἀλλὰ καὶ πολλῷ μᾶλλον προσαύξοντες κτλ.'[3]

Eiusdem religionis studio commoti atque ducti ipsum deum Dionysum declarauerunt urbis patronum atque praesidem titulis iisdem testantibus, in quibus appellatur Bacchus κατεξοχὴν: 'ὁ τῆς πόλεως θεός'[4] uel proprie 'ὁ τᾶς πόλεως ἀρχαγέτας'.[5]

Sed accedit aliud quoddam momentum, quo cultus ille Bacchi ad summam progressus est claritatem apud Teios. Nam Teo in urbe circa Alexandri Magni aetatem, ut etiam monumentis demonstraretur singularis Teiorum religio, Bacchi templum, Hermogenis opus praestantissimum ionico genere aedificabatur eodem fere tempore atque eiusdem dei theatrum.[6]

[1] Le Bas., l. c. n. 76 lin. 7.

[2] l. c. n. 72 lin. 19 sq; praeterea n. 63 lin. 10 sq; 'ἅτε καθ[ιάρωσις τῷ Διο]νύσῳ τᾶς πόλεος καὶ τᾶς χώρας κτλ.' n. 70 lin. 20: τάν τε καθιέρωσιν τῷ Διονύσῳ τᾶς τε πόλιος καὶ τᾶς χώρας ὑμῶν κτλ'. (cf. n. 68ᵃ lin. 1 et n. 75 lin. 7); n. 80 lin. 13: 'ἅτε πόλις καὶ χώρα ὑμῶν καθιέρωται'. n. 80 lin. 32: 'τᾶς καθιαρώσιος τᾶς τε πόλιος καὶ τᾶς χώρας'. n. 85 lin. 10: 'τᾶς τε πόλιος καὶ τᾶς χώρας τὰν ἀνιέρωσιν'. n. 66 lin. 7 sq. 'τάν τε ἀνιέρωσιν τῷ Διονύσῳ'. (cf. n. 66 lin. 13 et 16 sq.); n. 67 lin. 20: 'τάν τε καθιέρωσιν τῷ Διονύσῳ' (cf. 74 lin. 16 sq.); n. 78 lin. 13: 'καθιέρωσιν'. n. 85 lin. 19: 'καθιέρωσις'.

[3] Le Bas., l. c. n. 71 lin. 19 sqq; cf. n. 60 lin. 12 sq; n. 64 lin. 13 sqq. et n. 68ᵇ lin. 2 sqq.

[4] C. I. G. II n. 3092 lin. 5—6.

[5] Le Bas., l. c. n. 75 lin. 10 sqq; praeterea 'τῷ Διονύσῳ τῷ ἀρχαγέτᾳ τᾶς πόλεος αὐτῶν' n. 76 lin. 20; 'πρὸς τὸν Διόνυσον τὸν ἀρχαγέταν ὑμέτερον' n. 80 lin. 12; 'διά τε τὸν Διόνυσον τὸν ἀρχαιγέταν [ἔοντα] τᾶς πόλεως' n. 80 lin. 23.

[6] cf. Lüders., Dionys. Künstler pag. 75.

Qua in urbe florebat denique celeberrima illa Teiorum artificum Dionysiacorum synodos, qui omnino de Dionysi cultu extollendo eiusque gloria per totam Asiam propaganda optime meriti, plurimum adiuuabant ut augerentur imprimis Teo in urbe Dionysi Bacchi caerimoniae. His quidem artificibus iam ante medium saeculum a. Chr. n. III. et *ἀσυλία* et *ἀσφάλεια* et in bello et in pace erat tributa ab omnibus Graecis oraculi Apollinis iussu [1] 'ita ut eis negotia facessere nemini liceret et ipsi essent sacri ad deorum legitimos honores', quae etsi de artificibus Dionysiacis Atheniensium in Amphictyonum quodam decreto dicta sunt,[2] tamen de Teiorum artificibus prorsus et iisdem ualent.

Quid igitur mirum si Romani, ciuitates gentesque Graecae, Teiorum urbis quoque, cum esset sedes celeberrima '*τοῦ κοινοῦ τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἀπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου καὶ τῶν περὶ τὸν καθηγεμόνα Διόνυσον*'[3] confirmauerunt asyli ius a Teiis oraculo Apollinis et Pythii et Didymaei monente[4] impetratum?

Habemus decreta triginta duo de Teiorum asylo confirmando atque renouando hucusque nota,[5] siue integra seruata siue perdita:

A.

Anno a. Chr. 193., quo uariis populis Teii miserunt legatos uarios sunt tribuenda decreta haec:

---

[1] ut testis est titulus in C. I. G. II n. 3067 lin. 16 sqq. '*ἡ παρὰ τῶν τεχνιτῶν ἀθάνατος δόξα, οὓς καὶ θεοὶ καὶ β[ασιλεῖς καὶ πάντες Ἕλ]ληνες τιμῶσιν, δεδωκότες τήν τε ἀσυλίαν καὶ ἀσφάλειαν πᾶσι [καὶ πολέμου καὶ εἰ]ρήνης κατακολουθοῦντες τοῖς τοῦ Ἀπόλλωνος χρησμοῖς*. (cfr. O. Lüders., Dionys. Künstler pag. 77 sq.) „Unsere Inschriften von Teos zeigen, dass den Teischen Techniten jene Privilegien (*ἀσυλία καὶ ἀσφάλεια* etc.) in Folge eines Apollinischen Orakelspruchs verliehen wurden." O. Lüders, l. c. pag. 80.

[2] cf. Foucart., de collegiis scenic. artific. apud Graecos. Paris 1873 pag. 38.

[3] cf. Lüders, l. c. pag. 77.

[4] Le Bas, l. c. n. 78 lin. 8 sq. '*διά τε τῶν χρησμῶν [τῶν ἀναγγελθέντων ἐν] Δελφοῖς καὶ ἐν Διδύμοις' κτλ* . . . . .

[5] 'M. Le Bas pensait que quelques fouilles bien dirigées en (sc. decretorum eiusmodi) feraient découvrir d'autres'. (cf. Le Bas, Asie min. III p. 28.)

I. legato Menippo Antiochi III. Magni Syriae regis misso:

Romanorum [1]

II. legatis Pythagora et Clito a Teiis missis:

Aetolorum [2]
Athamanum [3]
Delphiorum [4]

III. legatis Apollodoto et Colota ad urbes ciuitatesque Cretae missis:

Allariotarum [5]
Apolloniatarum [6]
Apteraeorum [7]
Arcadum [8]
Axiorum [9]
Bianniorum [10]
Cnosiorum [11]
Cydoniatarum [12]
Eleuthernaeorum [13]
Eranniorum [14]
Hierapytniorum [15]
Istroniorum [16]
Lappaeorum [17]

---

[1] Le Bas., l. c. n. 60.
[2] l. c. n. 85.
[3] l. c. n. 83.
[4] l. c. n. 84.
[5] l. c. n. 73.
[6] l. c. n. 69.
[7] l. c. n. 86[b].
[8] l. c. n. 72.
[9] l. c. n. 65.
[10] l. c. n. 68[c].
[11] l. c. n. 61.
[12] l. c. n. 64.
[13] l. c. n. 71.
[14] l. c. n. 76 lin. 6. 15., unde prius colligi potest decretum.
[15] l. c. n. 68[a].
[16] l. c. n. 70.
[17] l. c. n. 68.

Latiorum [1]
Latiorum ad Camaram [2]
Pallaeorum [3]
Polyrrheniorum [4]
Priansiorum [5]
Rhauciorum [6]
Sybritiorum.[7]

B.

Ad posteriorem aetatem, circa ad medium saeculum a. Chr. II. sed certe ut uidetur ante annum a. Chr. 133. pertinent decreta haec:

IV. legatis Herodoto et Menecle ad easdem Cretensium ciuitates renouandi asyli iuris causa missis:

Apteraeorum [8]
Arcadum [9]
Bianniorum [10]
Cnosiorum [11]
Eranniorum [12]
Pallaeorum [13]
Priansiorum [14]

---

[1] l. c. n. 67.

[2] l. c. n. 74.

[3] l. c. n. 78 lin. 12 sq., unde prius colligitur decretum.

[4] l. c. n. 62.

[5] quorum decretum alterum haud seruatum ex eo quod Herodotus et Menecles missi sunt explicandum est, quare de priore decreto, ne eodem quidem tradito, dubitari non potest.

[6] Le Bas., l. c. n. 63.

[7] l. c. n. 66.

[8] Le Bas., l. c. n. 75; prius decretum n. 68b.

[9] l. c. n. 80; prius decretum n. 72.

[10] l. c. n. 77; prius decretum n. 68c.

[11] Ex legatione Herodoti et Meneclis euoluendum; prius decretum n. 61.

[12] Le Bas., l. c. n. 76; prius decr. nusquam traditum est.

[13] l. c. n. 78; prius decr. non seruatum est.

[14] quorum decretum alterum constat ex legatione Herodoti et Meneclis; neque uero seruatum nobis est decretum alterum neque prius.

Incertae gentis uel ciuitatis Doricae.[1]

Haec quidem decreta uariis attribuenda sunt temporibus, quod nunc demonstrabimus. Neque uero ullius decreti tempus certe definiri potest quo sit factum nisi solius Romanorum epistulae, cuius est auctor M. Valerius Messala, ut indicat epistulae ipsius initium,[2] qui testante Liuio[3] Romae erat praetor peregrinus anno a. Chr. n. 193. Accedit quod Menippus referebat[4] Teiorum postulata ad senatum populumque Romanum et ad praetorem peregrinum, ita ut certius circumscribi possit epistulae Valerii tempus. Nam uere eiusdem anni 193. Antiochi Magni legati, quorum principes erant Menippus et Hegesianax,[5] Roma decesserunt, concessiones quarum petendarum causa ad Romanos ab Antiocho III., Syriae rege, erant missi[6] non assecuti.[7] Quare cum iam initio anni a. Chr. 193. legati Syrorum relicuissent Romam urbem, Menippum de Teiorum postulatis disputauisse certum est in senatu Romano[8] iam primis anni eiusdem mensibus, quare Valerii quoque epistula iisdem fere anni a. Chr. 193. mensibus primis est tribuenda.

Aetolorum decretum confectum est ut docet titulus ipse[9] ‘*στρατηγέοντος Ἀλεξάνδρου Καλυδωνίου, Παναιτωλικοῖς*’. In anno autem illo statuendo, quo rebus Aetolorum praeerat Alexander, sequamur licebit ea, quae docte iam exposuit atque explicauit Waddington, decretum[10] interpretatus, quo auctore Alexander strategia Aetolorum perfunctus est inde ab aequinoctio autumnali anni a. Chr. n. 194. usque ad idem anni proximi aequinoctium. Quare tribuendum erit Aetolorum decretum anno a. Chr. 193.

---

1 decretum nihil aliud est nisi fragmentum perparuum, nescio quo anno ipsis legatis incompertis confectum (cf. Le Bas., l. c. n. 79.).

2 Le Bas., l. c. n. 60 lin. 2.

3 Liu. XXXIV 54, 2.

4 Le Bas., l. c. n. 60 lin. 5 sq.: ‘*τό τε ψήφισμα ἀνέδωκεν.*’

5 Liu. XXXIV 57, 6.

6 l. c. 58 et 59.

7 cf. Mommsen, röm. Geschichte I ed. 5 p. 738.

8 Le Bas., l. c. n. 60 lin. 6 sqq.

9 Le Bas., l. c. n. 85 lin. 2.

10 Le Bas., Asie min. III pag. 42.

Athamanum autem et Delphorum urbis decreta ad idem annum pertinere iam ex eo apparet, quod ad hos tres populos iidem aduenerant Teiorum legati Pythagoras et Clitus. Certe quidem hoc statuendum est confirmationem Teiorum iuris asyli ab his tribus populis, Aetolis, Athamanibus, Delphiis, datam esse ante annum a. Chr. n. 192., priusquam bellum exortum esset et inter Romanos et Antiochum, Syriae regem. Cuius ad partes cum transiissent Athamanes et Aetoli Romanorum facti sunt hostes; itaque per totum belli illius tempus eo ipso omnia pacis opera (uelut asyli ius Teiis tribuendum) abhorrebant ab Aetolis atque ab Athamanibus, belli periculis maxime implicitis. Quam ob rem decretum illud Aetolorum intra annos 192. et 189. fieri non potuisse ualde probabilis est coniectura; idem de Athamanum decretum est statuendum. Sed decreta nostra posteriore facta esse anno quam a. Chr. 189. minime probari posse uidetur, quia Aetoli tum aetatis qua tribuebant Teiis asyli priuilegium summa erant apud Graecos auctoritate, quod colligi posse putamus ex totius Aetolorum decreti sermone atque dictione. Idem de Athamanibus eorumque decreto ualet, qui inde ab anno 208. usque ad annum 192. Amynandro rege florebant. Quodsi igitur Waddington Alexandrum Calydonium Aetolorum fecit principem uel praetorem anni inde ab autumno 194. usque ad idem tempus anni 193., rem recte exposuisse uidetur. Quare eidem anno 193. Aetolorum Athamanum Delphiorum tribuenda sunt decreta, quoniam Teiorum legati iidem fuerant et Pythagoras et Clitus, qui quidem legationis munere uno tenore sunt perfuncti.

Item facere non possumus, quin etiam Apollodoti et Colotae ad Cretae ciuitates legationem referamus ad eundem annum, quocum nulla si quid uideo pugnat res. Immo quae ex decretis ipsis colliguntur optime coniungi possunt cum eodem anno. Nam in Eleuthernaeorum decreto mentio facta est Agesandri, Eucratis filii, Rhodii, quem legatum miserat Antiochus III., Syriae rex, ut sedaret bellum a Cretae urbibus inter se gestum.[1] Bellum illud sine dubio in rixis litibusque

[1] Le Bas., l. c. n. 71 lin. 15 sq.

uersabatur Eleutheruaeorum et urbium uicinarum, ut suspicatur Waddington.[1] Antiochus autem Cretensibus iam eo fauit, quod Rhodiis, inimicis suis et hostibus, latrociniis et praedationibus mare infestantes constanter fere damnum intulerunt uel ipsius Philippi V., Macedonum regis, praesidio.[2] Ceterum Antiochum Magnum bellum Romanis illaturum antea ad reges populosque misisse legatos constat, ut eos sibi conciliaret discordiasque inter singulas ciuitates concitatas sedaret, priusquam exoreretur bellum in Romanos iam dudum instans, quod re uera factum est anno a. Chr. 192., postquam quae ex Romanis petierat per legatos Hegesianactem et Menippum alios anni a. Chr. 193. uere a Flaminino in senatu et paulo post in Antiochi ipsius castris, quae Ephesi habebat denuo repudiata sunt a Romanis.[3] Quare permultum eius interesse debuit, ut discordes Cretenses quoque inter se coniungeret ante id bellum, praesertim cum ab iis appellatus esse uideretur, ut componeret pacem, quod colligi potest ex Rhauciorum decreto,[4] ubi unacum Agesandro Rhodio ipsorum Rhauciorum nescio qui legati de asyli iure Teiis concedendo uerba fecisse dicuntur in contione Rhauciorum, de quibus legatis Waddington hanc protulit sententiam: ‘Il paraît qu’ils avaient envoyé des ambassadeurs auprès d’Antiochus et que ceux-ci avaient passé par Téos’.[5]

Quas quidem inimicitias urbium sedauit per Agesandrum legatum Antiochus certe ante bellum cum Romanis sibi gerendum. Quare ad annum a. Chr. 193. referamus Cretae urbium decreta sub III. enumerata.

Sed exstant praeterea alia Cretensium ciuitatum decreta, ex parte ab iisdem urbibus confecta, quae tamen ad inferiorem pertinent aetatem.[6] Nonnullis enim annis post priorem con-

---

1 Le Bas., l. c. ad n. 71 pag. 36.

2 Diodor. XXVIII fr. 1.

3 Mommsen, röm. Gesch. I pag. 738 sq.

4 Le Bas., l. c. n. 63 lin. 8 sq.

5 Le Bas., l. c. ad n. 63 p. 30.

6 Le Bas., l. c. pag. 28: ‘Quant aux décrets crétois, il y en a deux séries distinctes: la première (n. 61—74) sans doute contemporaine du décret des Romains; la seconde postérieure d’une génération au moins’. (n. 75—82.)

firmationem asyli iuris a Cretensibus datam perturbatio quaedam facta esse uidetur in rebus Teiorum gestis, quibus etiam asyli ius templi agrique Dionysi sacri siue re uera uiolatum siue uehementer impugnatum siue in discrimen adductum erat, quare ut iterum concederent eaedem ciuitates asyli ius, Teios denuo legatos mittere oportuit ad Cretenses urbes, quarum decreta altera quotquot sunt enumerauimus sub B.

Sed quo anno id factum sit ut in uniuersum statuamus, Herodoti et Meneclis legati a Teiis missi aliquam praebent ansam; solebant enim, ut recte iam monuit Lueders,[1] Teii artificum Dionysiacorum, quos inter se habebant, ingenio optime culto atque probato uti, quorum nonnullos miserunt legatos ad ἀσυλίαν impetrandam, uelut Horodotum et Meneclem, qui haud dubie fuerunt inter artifices Dionysiacos Tei sedentes nobilissimos.[2] Qui quidem artifices scenici iam ante annum a. Chr. 133. seditione exorta urbem excedere erant coacti Teiorum, quo facto Ephesum petierunt et Attalo III. Philometore rege fortasse auctore postea Myonnesi sedem habuerunt, quam urbem iterum reliquerunt, ut Lebedum sese reciperent, ubi iam maxime floruerunt Strabonis temporibus. Neque uero seditio illa facta est ante annum a. Chr. n. 152., quo etiam tunc artifices habuerunt sedem Teo in urbe.[3]

Quare legationem alteram ad Cretensium ciuitates constituerunt Teii aut paulo ante annum a. Chr. n. 152., quod equidem non credam, aut intra annos 152. et 133., sed profecto ante artificum Dionysiacorum migrationem ex Teiorum urbe intra hos annos perfectam. Quibuscum consentiunt optime, quae Waddington commentatus est ad decreta urbium Cretae ad alteram et Herodoti et Meneclis legationem pertinentia:[4] 'Les expressions de ces décrets de confirmation font supposer qu'il

---

[1] Dionys. Künstler, pag. 85.

[2] cf. Le Bas., l. c. n. 80 et 81.

[3] cf. O. Lüders, Dionys. Künstler, pag. 85 sq.: ‚Nach langer Zeit und nicht vor dem Jahre 152 (da die Künstler zur Zeit der Abfassung des Testaments von Kraton zu Gunsten der Attalisten im 7. Jahre der Regierung von Attalus Philadelphus (II 159—138) noch in Teos wohnten), wanderte die Synodos aus nach Ephesus' . . . . .

[4] Le Bas., voy. arch. III Asie min. p. 29.

s'était écoulé au moins une génération et probablement plus, entre les deux ambassades', quoniam priores legati, Apollodotus et Colotes ad Cretenses missi sunt anno 193., eodem anno, quo Menippus ad Romanos, quo Pythagoras et Clitus ad Aetolos, Delphios, Athamanes adierunt ut ἀσυλίαν Teiorum impetrarent. Quare Dionysi asylum, quo tota eorum ciuitas sacra et urbs et ager continebatur, a Teiis institutum est anno a. Chr. n. 193., quo etiam gentes et ciuitates exterae supra commemoratae (sub A. III.) concesserunt asyli ius. Sed procedente tempore perturbatio nescio quae facta est nec non Teiorum asylum eiusque iura impugnata esse uidentur, quare Teii asyli confirmationem a Cretensibus denuo impetrati sunt (sub B. IV.).

Quae fuerit Teiorum asyli condicio posteriore aetate dicere non possumus; sed ualde mirum uidetur, de asylo Teio neque usquam mentionem esse factam apud rerum scriptores neque Tiberii temporibus quidquam statutum esse a senatu Romano, etsi nullum aliud asylum nisi poterat tam certis et firmis argumentis et testimoniis nisi Teiorum. Quod tunc in obliuione iecisse uidetur; nam cum uel obscuriorum faceret mentionem asylorum Tacitus, certe ei dicendum erat de Teiorum asylo celeberrimo ab ipsis Romanis antea comprobato, si omnino exstitisset Tiberii aetate.

Asyli autem Teiorum ruina raptim progressa esse uidetur, ex quo tempore Teum urbem excedere erant coacti artifices Dionysiaci, per quos antea ad summam sanctitatem et claritatem adducta est Teiorum urbs eiusque asylum Dionysi.

Accedamus nunc ad alteram quaestionem huc usque reseruatam, qua de causa, ut Teiorum urbs ἀσυλίας priuilegii fieret particeps, tot decretis opus fuerit ciuitatum comprobantium. Hoc aliter explicari non potest nisi ex rebus publicis prorsus aetate illa qua uersamur in tractanda hac re mutatis. Nam cum antea ut uidetur summi sanctissimique ciuitatum Graecarum concilii Amphictyonum sola suffecerit probatio, ut asylum nescio quo loco statutum ab omnibus Graecis agnosceretur, inde fere ab Alexandri temporibus Amphictyonum auctoritas et uis non mediocriter concidit neque sufficiebat sola ad recte instituendum aliquod asylum,

praesertim cum res Graecorum domesticas tum temporis non ipsi Graeci, sed alii populi exteri, Macedones eorumque reges, denique Romani moderarentur. Sed cum Teiorum asylum institutum esset a Teiis, praecipuum omnium rerum iudicium non iam erat Graecis, quorum ciuitates et urbes quot erant, tot suis legibus utebantur, sed multae inter se pugnabant gentes atque nationes exterae Graecis prorsus neglectis de summo orbis terrarum imperio, quod suo Marte sibi parauerunt Romani.

Itaque ut et urbs et ager Teiorum re uera esset atque maneret sacrosanctum atque inuiolatum Bacchi τέμενος, aliter fieri non potuit quam ut ab omnibus ciuitatibus suis ipsarum legibus utentibus Graecis, uelut a Cretae urbibus, ab Aetolis, qui primum tum obtinebant omnium Graecorum locum, a Delphiis, penes quos erat summa in rebus sacris auctoritas atque potestas, ab Athamanibus,[1] ex quibus originem duxerunt Teii, quae quidem gens bellicosa, dum bella geruntur inter Macedones et Romanos, exstitit satis clara, denique a Romanis, qui aetate ea primum rebus Asiaticis sese interposuerunt et cum Philippo V. Macedonum et cum Antiocho III. Syrorum regibus de imperio orbis terrarum ferro decreturi erant, Teii impetrarent singulatim asyli ius. Quin etiam ab his ipsis regibus et Antiocho et Philippo itemque ab Attalo, qui tum erat Pergamenorum rex, aliisque populis et ciuitatibus impetrauerint Teii asyli ius, quod etiamsi decreta eorum nobis non sint tradita minime ut puto dubium est, praesertim cum Teiorum legatos ad Cretenses primum missos non mediocriter adiuuerint et Perdiccas Philippi V. et Agesander Rhodius Antiochi III. legati, qui auctoritatem suam interposuerunt saepissime ad conciliandos Cretensium animos, uelut Agesander

---

[1] de quibus Waddington Apollodorum (I 9, 2) et Pausaniam (VII 3, 3) secutus haec dicit: 'Les Athamanes prétendaient tenir leur nom d'Athamas, fils d'Hellen et petit-fils d'Aeolus, le père de la race éolienne; ils pouvaient donc se dire "parents du fondateur du nom hellénique"; ils avaient également avec Téos une affinité de race à faire valoir; car un autre Athamas, fils du premier, avait conduit une colonie de Minyens à Téos, où il était l'objet d'un culte héroïque.' (cf. Le Bas. voy. arch. III Asie min. n. 83 et ad n. 83 pag. 41.)

Rhodius apud Rhaucios,[1] Lappaeos,[2] Perdiccas Macedo apud Axios,[3] Sybritios,[4] Latios,[5] Istronios,[6] Arcades,[7] Allariotas,[8] Latios ad Camaram,[9] uterque legatus apud Eleuthernaeos.[10] Haec sufficiant ad recte cognoscendum, quo modo atque quo tempore institutum sit cuique dedicatum fuerit numini Teiorum asylum.

ad n. 17 cf. n. 9.

## ad n. 18. 42.

## ASYLA SPORADUM INSULARUM.

18. Anno p. Chr. n. 23. Tiberio imperante Coi unacum Samiis ad senatum Romanum de asylis suis eorumque priuilegiis rettulerunt. Et Coi quidem petebant 'Aesculapii delubro uetustum asyli ius ut firmaretur'.[11] Cum Samii Amphictyonum decreto niterentur, ut tradidit Tacitus, 'quis praecipuum fuit rerum omnium iudicium, qua tempestate Graeci conditis per Asiam urbibus ora maris potiebantur', de Cois haec Tacitus: 'neque dispar', inquit, 'apud Coos antiquitas'; quare ad eandem referamus originem asyli iuris Coorum liceat. Sed quod amplius est, Coi de Romanorum ciuium salute optime sese meritos esse gloriabantur, unde postulata iura et priuilegia libenter concesserunt Romani: Induxerunt enim ciues Romanos in Aesculapii templum, ut tuti essent propter uetustum asyli ius, Mithridatis VI. Ponti regis iussum neglegentes, quo 'apud cunctas Asiae insulas et urbes' Romanos trucidari iusserat[12] anno a. Chr. 88.

---

1 Le Bas., l. c. n. 63 lin. 6 sq.
2 l. c. n. 68 lin. 8 sq.
3 l. c. n. 65 lin. 9 sq.
4 l. c. n. 66 lin. 9 sq.
5 l. c. n. 67 lin. 22.
6 l. c. n. 70 lin. 14 et 18.
7 l. c. n. 72 lin. 14. 17. 21.
8 l. c. n. 73 lin. 10.
9 l. c. n. 74 lin. 14. 18.
10 l. c. n. 71 lin. 14 sqq.
11 Tacit., ann. IV 14.
12 Appian., de bello Mithr. cap. 23.

Ob eiusdem Aesculapii dei cultum, maxime autem propter Xenophontis Coi, medici illustris de se merita, Claudius imperator Cois immunitatem tribuit D. Junio Silano Q. Haterio consulibus,[1] ita ut omni tributo uacui in posterum sacram et tantum dei (Aesculapii) ministram insulam colerent Coi.

42. Samii de Junonis asylo eiusque priuilegiis ad senatum referebant. Asylum autem eorum antiquissimis iam temporibus floruit teste Tacito.[2] Idem templum, antiquitus ab Amphictyonibus asyli iure praeditum, a piratis haud dubie propter diuitias ibi collocatas petitum atque opibus spoliatum est saeculo a. Chr. primo.[3] Atque re uera ex Cicerone[4] discimus non solum omnino in fanis pecuniam deponere Graecorum fuisse morem, sed etiam Junoni Samiae, asyli nostri deae praesidi, 'Clisthenem Atheniensem, ciuem egregium, cum rebus timeret suis, filiarum dotes credidisse'. Samiorum quoque asylum denuo confirmatum est a Romanis anno p. Chr. n. 22.

ad n. 19 et 20 cf. n. 16 et 10.

## ad n. 21. 47. 54. 56.
## ASYLA PHOENICES.

21. Dora Phoenices 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος' titulos captasse uidetur propter religionem Jouis, cuius caput plerumque tam in autonomis, quam imperatoriis comparet, ut docet Eckhelius.[5] Priuilegium autem ἀσυλίας tributum est Jouis Nicephori ut uidetur[6] templo a Tryphone, Syriae rege, qui αὐτοκράτορα sese appellauit. Qui usurpator fugiens uenit Doram, ubi ab Antiocho VII. obsidebatur. Dora autem urbs ipsa fortiter defensa contra Antiochum tolerauit obsidionem aliquamdiu summa audacia cum centum uiginti milibus peditum et octo

---

[1] Tacit., ann. XII 61.
[2] Tacit., ann. IV 14.
[3] Plut., Pomp. 24.
[4] Cicer., de legg. II 16, 41.
[5] Eckhel., D. N. V. III p. 363.
[6] Nam postica nummi Tryphonis praebet Jouem stantem et coronam tenentem manu dextra porrecta. Mionnet., V p. 72 n. 631.

milibus equitum pugnans, quos secum habebat Antiochus.[1] Itaque hanc urbem ad extremum fidelem ornauit Tryphon priuilegio asyli ut docet nummus ipsius Tryphonis Dorae signatus, in quo primum leguntur elogia illa 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος'. Epigraphe autem haec est: '*ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΡΥΦΩΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡ. ΔΩΡ. ΙΕ. Κ. Α*'.[2] Posteriore etiam tempore floruit Dorae urbis asylum testantibus aliis nummis huc usque quattuor, binis Traiani, binis Hadriani, qui praebent elogia: '*ΙΕΡ.ΑΣΥ.Α*'.[3] uel '*ΙΕΡΑ.ΑCΥΛ*'.[4] cum aliis honorum titulis coniuncta.

47. Sidon Phoenices urbs 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος' dicitur primum in nummo Antiochi VIII. et Cleopatrae matris eius, anno a. Chr. 121. signato (AqP aerae Seleucidarum); accedunt bini Antiochi VIII. solius nec non Antiochi IX. nummi, quorum omnium epigraphe est uel '*ΙΕΡ.ΑΣΥ*'.[5] uel '*ΙΕΡ.ΑΣ*'.[6] Sequuntur nummi autonomi decem hanc epigraphen praebentes '*ΣΙΔΩΝΟΣ* uel *ΣΙΔΩΝΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ*'., qui pertinent ad annos a. Chr. 65.[7], 40.[8], 31.[9], 30.[10], 8.[11], 5.[12] et p. Chr. n. 44.[13], denique duo alii nullam anni notam habentes cum eadem epigraphe.[14] Ad annum a. Chr. n. 5. spectat nummus quoque Augusti, cuius epigraphe '*ΣΙΔΩΝΟΣ.ΙΕΡΑΣ.ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ*' est.[15] Claudunt agmen quattuor nummi alii, in quibus etiam ναυαρχίς appellatur Sidoniorum urbs; spectant

---

[1] Maccab. I 15, 13.
[2] Mionnet., l. c. V p. 72 n. 631; Eckhel., l. c. III p. 234.
[3] Mionnet., l. c. V p. 361 n. 157. 161; Suppl. VIII p. 260 n. 99.
[4] Mionnet., l. c. V p. 362 n. 162.
[5] Mionnet, l. c. V p. 378 n. 279; p. 380 n. 293. 296; Eckhel., l. c. III p. 367 n. 47.
[6] Mionnet., l. c. V p. 378 n. 278. 280.
[7] l. c. V. p. 88 n. 775; Eckhel., l. c. III p. 365 n. 14.
[8] Mionnet, l. c. V p. 94 n. 826.
[9] l. c. Suppl. VIII p. 67 n. 346.
[10] l. c. V p. 99 n. 880. 881; Eckhel., l. c. III p. 365 n. 16. 17.
[11] Mionnet., l. c. V p. 368 n. 194; Eckhel., l. c. III p. 366 n. 26.
[12] Mionnet., l. c. V p. 368 n. 196.
[13] l. c. n. 197. 198. 199.
[14] l. c. n. 195. 203.
[15] l. c. V p. 378 n. 277.

autem ad annos p. Chr. n. 80.[1], 82.[2], 85.[3], 87.[4] Honorum tituli eorum sunt '*ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ.ΚΑΙ.ΝΑΥΑΡΧΙΔ*'. uel '*ΝΑΥ*'. uel '*ΝΑΥΑΡΧ*'.

Statuendum igitur erit, Sidoniorum templum aliquod certe inde ab Antiochi VIII. Syriae regis aetate asylum fuisse, quod usque ad Domitiani tempora h. e. inde fere ab anno a. Chr. 121. usque ad annum 96. p. Chr. n. uel 100. floruit.

Praeterea neque de ἀσυλίας priuilegii auctore neque de asyli Sidoniorum statu atque condicione, qua erat post Domitianum imperantem habemus quidquam quod in medium proferamus.

Ceterum asylum illud Sidoniorum in Astartes siue Veneris templo fuisse probabilis uidetur coniectura quod erat uetustissimum huius urbis numen,[5] quod iam Salamonem coluisse queruntur litterae sacrae eiusque typus persaepe occurrit in Sidoniorum nummis ita ut dextra acrostolium uel coronam, sinistra manu hastam in crucis formam tenens naui insistat.[6]

54. Tripolis Phoenices urbs in autonomis nummis, sed perpaucis dicitur 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος'.[7] Habemus unum, quem Pellerinius etsi deest integrum urbis nomen, tamen huic urbi tribuendum putat, propter binas in auersa Dioscurorum protomes, qui typus Tripoli proprius fuit, ut omnes fere nummi demonstrant. Epigraphe nummi illius haec est: '. . . *ΩΝ.ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ.ΚΑΙ.ΑΣΥΛΟΥ.ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ*'.[8]

Quoniam urbs ipsa autonomiam adepta uidetur a Pompeio Magno,[9] h. e. circa annum a. Chr. n. 63., quo erat 'imperator' Ciliciae urbium summus atque fautor eorumque priuilegiorum auctor, nummus ille prius signatus non est, nisi post Pompeii Magni beneficium acceptum h. e. post annum a. Chr. n. 63.

---

[1] Mionnet., l. c. n. 200.

[2] l. c. n. 201.

[3] l. c. n. 202.

[4] l. c. n. 203.

[5] cf. Eckhel., D. N. V. III p. 369.

[6] cf. Mionnet., Descr. de méd. V p. 371 n. 221. 222. 225. 227; p. 272 n. 228. 229. 232. 233. 236; p. 373 n. 241. etc. . . .

[7] Eckhel., D. N. V. III p. 376.

[8] l. c. p. 373.

[9] ut docuit Eckhelius l. c.

'Sacrae et asyli' autem honores sine dubio abstulerit Tripolis urbs ex Cabirorum uel Dioscurorum cultu, quorum typus in eius nummis saepissime inuenitur,[1] ita ut de Dioscurorum uel potius Cabirorum apud Tripolitanos asylo uix dubitari possit. Fortasse ab eodem Pompeio ἀσυλίας beneficio templum Cabirorum ornatum est anno a. Chr. n. 63.

56. Tyrum Phoenices urbem permulti praedicant nummi "ἱερὰν καὶ ἄσυλον" inde a Demetrii II., Syriae regis, temporibus h. e. ab anno aerae Seleucidarum 172. uel anno a. Chr. n. 140. usque ad initium fere saeculi p. Chr. II. (circ. p. Chr. n. 117.)[2]

De tempore autem quo Tyriorum templum et a quo auctore ἀσυλίας priuilegio ornatum sit nihil certi statuere possumus, nisi forte ad Demetrium II. ipsum regem referendus est asyli nostri ortus, cum idem rex proelio uictus et ab omnibus uel ab uxore filiisque desertus cum paucis seruulis sese recepisset in Herculis Tyriorum ut uidetur templum, quod concludi potest ex Justini testimonio,[3] quo Tyrum religione templi (sine dubio Herculis) se defensurus petiit.

Gaudebat autem Tyrus templo asyli iure praedito, unde titulum quoque "ἱερὰ καὶ ἄσυλος" accepit certe usque ad saeculi p. Chr. II. finem. Nam habemus titulum [4] Puteolis repertum anno p. Chr. n. 174. tribuendum, quo continetur epistula ad Tyriorum urbem scripta, ubi et alia eximia leguntur Tyri urbis

---

[1] cf. Eckhel., D. N. V. III p. 375.

[2] Mionnet., l. c. V p. 65 n. 567; p. 67 n. 586; p. 78 n. 689. 691; p. 79 n. 692. 696. 697. 698. 699; p. 428 n. 618. 619. 700; p. 80 n. 702. 703. 704. 705; p. 409 n. 471. 472; p. 410 n. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481; p. 411 n. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489; p. 412 n. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499; p. 413 n. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510; p. 414 n. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520; p. 415 n. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531; p. 416 n. 532. 533. 534. 535. 537; p. 417 n. 539. 540. 543. 544; p. 418 n. 546. 547. 548. 549; p. 419 n. 554. 558. 559; p. 420 n. 560. 561. 562; p. 421 n. 569; Suppl. VIII p. 296 n. 274; p. 297 n. 275; p. 300 n. 295. — Eckhel., l. c. III p. 379 n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12; p. 380 n. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 31; p. 381. n. 34. 36. 37.

[3] XXXIX 1.

[4] C. I. G. III n. 5853.

elogia et 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος'. Neque uero falli uidemur, cum Herculis religionem urbi priuilegia attulisse dicamus Eckhelii[1] secuti sententiam; quemadmodum Herculis Tyriorum dei praesidis templum fuisse asylum testatur Demetrii II. regis perfugium ibi petitum.

ad n. 22 cf. n. 16.

## Ad n. 23. 55.

## ASYLA CAPPADOCIAE.

23. Eusebia, quae et Caesarea, Cappadociae urbs, solo nummo autonomo laudatur ἄσυλος: '*ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ.ΑΣΥ*'.[2], unde Pellerinius[3] eruit urbem fuisse asylum. Quamquam neque de tempore quo asylum statutum sit neque de asyli numine patrono quidquam nobis traditum est. Ceterum ueri haud dissimile est urbem asylo aliquo ornatam fuisse, praesertim cum alia praeterea occurrant elogia eximia in eius nummis, uelut metropolis, neocorus, qui tituli haud raro cum 'asylo' sunt coniuncti.

55. Tyana Cappadociae constanter fere inscribitur 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος' in nummis inde iam ab Hadriano, non solum ab Antonino Pio ut docuit Eckhelius[4]; habemus enim nummos Hadriani quattuor, quinque Antonini Pii, Marci Aurelii duos, Commodi unum, quinque Septimii Seueri.[5] Floruit igitur inde ab Hadriani aetate usque ad Septimium Seuerum asylum Tyanensium Aesculapio ut uidetur sacratum. Nam in nummis et Septimii Seueri et Juliae Domnae et Caracallae comparet Aesculapii typus, ut in Sept. Seueri nummo,[6] ubi solus conspicitur, semel Aesculapius et Hygia in nummo Caracallae,[7] bis Aesculapius et Hygia stantes medio inter hos Telesphoro

[1] D. N. V. III p. 386.

[2] Eckhel., l. c. III p. 187 et 191.

[3] l. c. p. 191.

[4] Eckhel., D. N. V. III p. 194.

[5] Mionnet., l. c. IV p. 439 n. 221—224; p. 440 n. 226—228; Suppl. VII p. 713 n. 315. 317. 318; p. 714. n. 319—324; p. 715 n. 325.

[6] Mionnet., l. c. Suppl. VII p. 714 n. 324.

[7] Mionnet., l. c. IV p. 441 n. 233.

ut in nummis Juliae Domnae[1] et Caracallae.[2] Neque uero quidquam certi de hoc deo tamquam asyli Tyanensium patrono statui potest.

ad n. 24 et 25 cf. n. 1 et 13.

ad n. 26. 44.

## ASYLA LYDIAE.

26. Hierocaesarienses Lydiae Tacito auctore[3] cum senatu Romano de templi sui Dianae Persicae, ut dicunt, dicati asyli iure agebant atque 'altius exposuerunt', ut postulata sua firmarent. Persicam appellauerunt Dianam propter Persicum eius ut uidetur cultum, quem accuratius describit Pausanias:[4] 'Sunt Lydis, qui Persici cognominantur, templa in Hierocaesarea oppido et Hypaepis. In utroque templo aedicula siue cella est cum aris, super his cinis: eoque ingressus sacerdos siue magus tiara caput uelatus foco arida ligna imponit et deum nescio quem barbarico sermone inuocat. Ubi desiit statim e lignis sponte purissima flamma emicat et assurgit'. Id se uidisse narrat Pausanias.

Sine dubio ex his singularibus caerimoniis Dianae Hierocaesariensium religio atque ueneratio orta est, unde Persica appellabatur et propter eximium eius cultum mox Dianae eorum templo asyli ius concessum est, ut equidem credo, iam a Cyro, quo regnante delubrum Dianae exstructum atque dicatum est.[5]

Quod beneficium *ἀσυλίας* a Romanorum quoque ducibus et imperatoribus esse confirmatum et auctum contestantur apud Tacitum Hierocaesarienses; memorabant enim M. Perpennae nomen, qui anno a. Chr. n. 130. Aristonicum, Attalorum regni usurpatorem, deuicit, a quo primum confirmationem priuilegii accepissent. Postea renouatum id esse a P. Seruilio

[1] l. c. p. 440 n. 229.
[2] l. c. p. 441 n. 234.
[3] Tacit., ann. III 62.
[4] Paus. V 27, 3.
[5] Tacit., ann. III 63.

Isaurico, Ciliciae proconsule, qui intra annos a. Chr. n. 78. et 76. piratis uictis oppidisque multis Lyciae captis Isauriam expugnauit. Praeterea autem ad multorum aliorum imperatorum Romanorum reuocauerunt priuilegium *ἀσυλίας*, quod adeo procedente tempore auctum esset ut non solum templum ipsum, sed etiam peribolus eius duobus milibus passuum asyli finibus complecteretur. His testimoniis usi priuilegia sua defendere conati sunt, quae iis unacum ceteris ciuitatibus petentibus concessa sunt in posterum.[1]

44. Sardiani asyli ius se accepisse profitentur ab Alexandro Magno, quo illum Dianae templum Sardianorum ornauisse docet Tacitus.[2] *Ἀσυλία* autem templo illi, cum anno 22. p. Chr. n. Tiberio imperante ad uetera priuilegia asylorum defendenda Sardiani legatos misissent ad senatum Romanum, denuo tributa est a Romanis. Dianae caput saepius occurrit in nummis Sardium.[3] Eiusdem numinis apud Sardianos culti testis quoque est Strabo[4], secundum quem Sardiani Dianam uenerabantur Coloënen, '*τὴν Κολοηνὴν Ἀρτέμιδα*', cuius templum '*μεγάλην ἁγιστείαν ἔχει*'.

*Κολοηνῆς* nomen duxit a lacu quodam, quadraginta stadia ab urbe Sardianorum sito, antea '*Γυγαία*', posterius '*Κολόη*' appellato, ad quem Dianae nostrae templum atque asylum exstitit.[5]

ad n. 27. 28. 29 cf. n. 8. 5. 16.

ad n. 30.

## ASYLUM ARABIAE PETRAEAE.

Ad Antonini Pii aetatem spectant Mocae Arabiae Petraeae urbis elogia, quae inueniuntur in eius nummo: '*MOKA. IEP. ACY. AYTO.*'[6] et in nummo Septimii Seueri: '*MOKA.*

---

[1] Tacit., ann. III 63 in fine.

[2] ann. III 63.

[3] uelut apud Mionnet., Descr. de méd. Suppl. VII p. 411 n. 422. 423 'tête de Diane avec arc et carquois'.

[4] Strab. XIII 4 § 5 p. C 626.

[5] Strab. l. c.

[6] Mionnet., l. c. V p. 586 n. 40; Eckhel., l. c. III p. 503.

*ΙΕΡ. Α. ΑΥΤΟ*.'[1] Mocae autem urbis numen, cui templum asyli iure praeditum fuerit dedicatum, nescimus.

ad n. 31 cf. n. 9.

ad n. 32.

## ASYLUM BITHYNIAE.

Exstat titulus ad annum p. Chr. n. 140. spectans, qui Nicomediam urbem Bithyniae praedicat '*ἱερὰν καὶ ἄσυλον*' additis aliis elogiis praecipuis, quem sequitur altera inscriptio aetatis paulo recentioris eosdem titulos exhibens honorarios Nicomediae cum tribus aliis coniunctis,[2] qua quidem honoratur Julia Domna, Septimii Seueri uxor, mater castrorum.

De deo asyli praeside nihil constat.

ad n. 33 cf. n. 5.

ad n. 34.

## ASYLUM SAMARIAE.

Scythopolis quae etiam fuit dicta Nysa laudatur '*ἱερὰ καὶ ἄσυλος*' in quattuor nummis unius Gordiani Pii, quod nos quidem sciamus, quorum honorum tituli hoc modo exprimuntur: '*ΝΥC. CΚΥΘΟΠΟΛΕΙΤωΝ. ΙΕΡΑ. ΑCΥ.*'[3] uel '*ΝΥC. CΚΥΘΟ. ΙΕΡ. ΑC*'.[4] Si Plinium sequi licet dicentem 'Scythopolin antea Nysam a Libero patre, sepulta nutrice ibi, deductis Scythis',[5] elogia urbis nostrae profluxisse ex Dionysi Bacchi religione a Nysaeis culta, (quam testantur ipsi nummorum typi: Bacchus nudus gradiens, thyrsum transuersum tenens manu dextra, pro pedibus hinc panthera deum suum

[1] Mionnet., l. c. n. 41; Eckhel., l. c.

[2] tituli toti integri huius urbis sunt: a) '*Ἡ μητρόπολις καὶ πρώτη Βειθυνίας Πόντου Ἀδριανὴ νε[ω]κόρος Νεικομήδεια, ἱερὰ καὶ ἄσυλος, φίλη καὶ σύμμαχος [ἄ]ν[ω]θεν τῷ δήμῳ τῷ Ῥωμαίων*'. cf. C. I. G. II n. 1720 lin. 1 sqq. b) '*ἡ με[γίστη καὶ] μητρόπολις καὶ πρώτη Βειθυνίας τε καὶ Πόντου Ἀδριανὴ Σεουηριανὴ δὶς νεωκόρος Ν[ει]κομήδεια ἱερὰ καὶ ἄσυλος, φίλη, πιστὴ καὶ σύμμαχος ἄνωθε τ[ῷ] δήμῳ τῷ Ῥωμαίων κτλ*'. cf. C. I. G. II p. 967 n. 3771 lin. 3—10.

[3] Mionnet., l. c. V p. 512 n. 150; Eckhel., l. c. III p. 439.

[4] Mionnet., l. c. n. 151; Suppl. VIII p. 356 n. 101. 103.

[5] cf. Plin lib. V cap. 18 § 74 (ed. Sillig I p. 364.)

suspiciens, illinc Priapus, in nummo Gordiani [1]), atque asylum nostrum dedicatum fuisse Baccho deo statuamus licet. Ceterum posteriore demum imperatorum aetate hoc asyli beneficio gaudebat urbs Nysa a Gordiano Pio ut uidetur tributo.

ad n. 35 et 36 cf. n. 4 et 3.

ad n. 37.

## ASYLUM PAMPHYLIAE.

Pergae Pamphyliae urbis asylum laudant nummi nonnulli, quorum elogia ipsum deae nomen praebent, cuius templo tributum erat asyli ius h. e. Dianae. In nummis enim legitur:[2] '*ΠΕΡΓΑΙΑC. ΑΡΤΕΜΙΔΟC. ACYΛΟΥ*' inde a Gordiani temporibus usque ad Saloninae aetatem cum exigua interdum lectionis differentia. Priore autem aetate nondum exstitisse Pergaeorum asyli ius ex nummis illis coniciamus, praesertim cum titulus qui exstat,[3] et idem '[*Π*]ε[ργαί]ων θεᾶς Ἀρτέμιδος ἀσύλου'[4] testis, ad posteriora pertinere uideatur tempora. Quare titulus ille honorarius 'ἄσυλος' itemque asyli ius circa medium fere saeculum p. Chr. n. III. Artemidis templo Pergaeensi tributum esse uidetur, quamquam Dianae Pergaeae cultus inter celeberrimos antiquitus exstitit Cicerone teste,[5] qui Pergae fanum antiquissimum et sanctissimum fuisse Dianae tradidit.[6]

Notabile autem testimonium eius cultus, quem etiam aliae ciuitates suum fecerant, titulo quodam [7] continetur, h. e.

---

[1] cf. Eckhel., D. N. V. III p. 439.

[2] Mionnet., l. c. III p. 466 n. 111. 112. 113; p. 467 n. 115. 119. 120; p. 468 n. 126; p. 469 n. 127; Suppl. VII p. 56 n. 139. 140. 141; p. 57 n. 144; p. 61 n. 164; Eckhel., l. c. III p. 14.

[3] C. I. G. II add. n. 4342b.

[4] C. I. G. II add. n. 4342b lin. 2.

[5] in Verr., act. II l. I 20, 54.

[6] cf. Callim. hymn. III u. 187 'πολίων δέ τοι εὔαδε Πέργη (sc. Ἀρτέμιδι). Ceterum τὸ ἐθνικὸν 'Περγαία' constanter coniunctum est cum Dianae nomine, si de Pergae urbis tutela fit mentio, non secus atque dicitur, "Ἄρτεμις Ἐφεσία'. uid. Steph. Byz. u. Πέργη — 'Περγαία Ἄρτεμις'. Strab. XIV 4, 2 p. C. 667 'τὸ τῆς Περγαίας Ἀρτέμιδος ἱερόν'. immo 'τὸ τῆς Περγαίας ἱερόν' dictum est apud Philostratum in uit. sophist. II 6 de Dianae Pergaeae templo.

[7] C. I. G. II n. 2656.

decreto Halicarnassiorum Augusti imperatoris fere temporibus tribuendo, secundum quod Halicarnassii caerimoniis Dianae Pergaeae prope Halicarnassum urbem institutis sacerdotium locandum seu uendendum proposuerunt.[1] Neque spernendum mihi uidetur, quod a Photio[2] et integrius a Suida[3] uerbis: 'ἡ Περγαία Ἄρτεμις' annotatum est: 'τάσσεται ἐπὶ τῶν ἀγυρτῶν καὶ πλανητῶν. Παρ' ὅσον ἡ θεὸς αὐτὴ νομίζεται ἀγυρτεύειν ἀεὶ καὶ πλανᾶσθαι', quod ortum uidetur a mendicantibus et per urbes ciuitatesque uagantibus Dianae Pergaeae sacerdotibus.

Denique cum deae Pergaeae cultu religioneque a sacerdotibus illis mendicantibus seruata dies festi ludique annui erant coniuncti.[4]

Quae cum ita fuerint ualde mirum nobis uidetur Pergaeorum deam celeberrimam eiusque templum non iam priore aetate asylo eiusque iure fuisse ornatum, quam inde a Gordiani temporibus. Apud rerum scriptores de asylo quodam Artemidis Pergaeae nusquam mentio facta est.

ad n. 38.

## ASYLA MYSIAE.

Pergami inueniuntur duo asyla, quorum alterum ex titulo quodam comprobatur, alterum ab uno Tacito traditum est.

Prius asylum est, τέμ[ενος τᾶς Ἀθα]νᾶς τᾶς Νικαφόρου τὸ ποτὶ Περγάμωι ἄσυλο[ν]'.[5] Eumenes enim II., Pergamenorum rex, dies festos ludorum denuo instituit et ad maiorem uocauit splendorem magnificentiamque in honorem Mineruae, cui est nomen 'Nicephoros'. Nicephoria instar et Olympiorum et Pythiorum instituta esse uidentur, ad quae probanda misit θεωρούς, qui ludos nuntiarent Graecis omnibus eosque inuitarent, ut sacris faciendis adessent et in celebrandorum ludorun partes uenirent; iidem θεωροί uno eodem-

[1] uid. Boeckh., C. I. G. II p. 454.
[2] ed. Naber. uol. I pag. 265 'Ἄρτεμις'.
[3] ed. Gaisford. uol. I p. 1679.
[4] Strab. XIV 4, 2 pag. C 667.
[5] uid: Bulletin de correspondance hellénique VI cinquième année. juin 1881 pag. 372—383 lin. 17—18.

que tempore peterent a Graecis ut 'τεμένους τᾶς Ἀθανᾶς τᾶς Νικαφόρου' confirmarent atque comprobarent asyli ius.

Itaque titulus de quo agimus exhibet decretum Aetolorum Delphis nuper repertum, quo 'καθάπερ ὁ βασιλεὺς Εὐμένης ἀνα-[καλεῖ] τὸ τέμ[ενος τᾶς Ἀθα]νᾶς τᾶς Νικαφόρου τὸ ποτὶ Περγάμωι ἄσυλο[ν], καθώς κα ὁρίξῃ . . . . [ἄσυλον] εἶμεν' Aetoli concesserunt comprobantibus omnibus et Aetolis et Aetoliam incolentibus.[1] Itaque confirmabant Aetoli Nicephorium esse asylum quibuscunque coerceretur finibus mox ab Eumene rege statuendis.

Sequuntur porro propriae condiciones asylo utendi rationem certis locis circumscribentes ut in aliis quoqne eiusdem fere temporis decretis ad Teiorum ἀσυλίαν spectantibus constanter fit, postquam in uniuersum confirmatum est asyli loci alicuius ius. Itaque exstant etiam in nostro titulo leges singulares hae: *I.* 'μηθένα [ἄ]γειν μηδὲ ῥυσ[ιάξειν τινὰ ἐ]ντὸς τῶν ὁρίων.'[2] *II.* 'εἰ δέ τίς κα ἄγῃ ἢ ῥυσιάξῃ ἢ ἀποβιάξαιτο ἢ διεγγνάσῃ ὑπόδικον εἶμεν ἐν τοῖ[ς συνέδρ]οις τῷ ἀδικηθέντι καὶ ἄλλωι τῶι θέλοντι ἐν ταῖς ἐκ ποτιστάσιος δίκαις.'[3] Quare ultra loci illius sacri et inuiolabilis Mineruae Nicephori limites neque deducere omnino neque trahendo rapere quemquam supplicem ibi commorantem fas erat; sed si quis supplicem quendam ex loco illo siue deduxerit siue ui detraxerit siue uim ei intulerit siue satisdationem ab eo exegerit, ab eo quem inuria affecerat ad 'συνέδρους' qui damnarent in ius uocari uel a quouis alio ad iudices deferri poterat actione patrocinii uiolati instituta. Haec quidem Aetolis placuit de Nicephorii quod dicunt asyli iure confirmando, quod idem decretum in legum suarum codicem recipi uoluerunt ipsi.[4]

Nicephorium autem illud iam Attalo I. regnante exstans secundum Polybium[5] bello a Macedonum rege Philippo cum Attalo I. et Rhodiis gesto anno a. Chr. 200. a Philippo arboribus ad unam omnibus caesis unacum templis peruastatum

[1] cf. Bulletin de corresp. hellén. l. c. lin. 17—19.
[2] l. c. lin. 19—20.
[3] l. c. lin. 20—21.
[4] l. c. lin. 27.
[5] Polyb. XVI 1, 6.

est. Sed Eumenes II. rex iterum restituit lucum sanctum consertis arboribus et amplificauit eius fines,[1] qui quidem decreto Aetolorum iam accepto nondum erant certe statuti,[2] quo facto renouauit et ludos et sacra, iam Attalo I. regnante, ut Poybius tradit, Pergami in Mineruae honorem celebrata.

Eodem tempore h. e. inter annos a. Chr. et 179. et 172. etiam asyli ius huic Nicephorio tributum est ab Eumene rege, quod aeque atque factum est ab Aetolis, a ceteris quoque Graeciae ciuitatibus, ex quibus per *θεωρούς* missos ut confirmarent asylum institutum eiusque tutandi priuilegium petiit, comprobatum esse uidetur. Sed ualde mirum est quod Tiberii temporibus Pergameni non Nicephorii postulauerunt *ἀσυλίαν*, sed de Aesculapii templi asyli iure unius uerba fecerunt in senatu,[3] ne uerbo quidem Nicephorii *ἀσυλία* commemorata. Nec magis Nicephoriorum meminerunt rerum scriptores, cum tituli tres ludos sacraque Nicephorii Athenae etiam posteriore tempore esse celebrata testentur,[4] quorum primus ad ludos nonum, alter duodeuicesimum celebratos, tertius ad Antoninorum tempora spectat.[5] Fortasse regia Attalorum stirpe anno a. Chr. n. 133. exstincta et ludi et cultus Mineruae Nicephori sensim neglecti postremo in obliuionem uenerunt, praesertim cum Attalis mortuis Pergami urbis ipsius corruere coepissent et opes et gloria.

Ceterum asyli Nicephorii uis et auctoritas superata fuisse uidetur claritate templi Aesculapii, quod idem asyli iure gaudebat.

Quin etiam cum eodem tempore crudelissima illa Romanorum caedes a Mithridate statuta et uno eodemque die perfecta esset, Nicephorii asylum auctoritate nulla fuisse uidetur, quia Appianus[6] nihil tradidit de Romanis, qui sup-

---

1 Strab. XIII 4 § 2 pag. C 624.

2 Bulletin de correspondance hellénique l. c. lin. 18. ‘*καθὼς κα ὁρίζη*’.

3 Tacit., ann. III 63.

4 Ausgrabungen zu Pergamon p. 75. 76. 77.

5 de tota hac re: Bulletin de corresp. hell. VI juin 1881 pag. 372—383.

6 Appian., de bell. Mithrid. 23.

plices sedissent in Nicephorio asylo, quod si asyli ius tum temporis ei fuisset, certo idem praebuisset Romanis supplicibus praesidium et refugium quod Aesculapii templum. Quare hoc tempore belli Mithridatici nec non Tiberii aetate Nicephorium nostrum asylum non iam fuisse coniectura erit satis probabilis.

De Aesculapii templo asyli iure gaudente Tacitus haec narrat: [1] 'consules apud Pergamum Aesculapii compertum asylum rettulerunt', ex quibus uerbis asylum nostrum priuilegiis nisum fuisse concludi potest, quibus quidem examinatis consules, quin auctoritatem documentorum de Aesculapii templi asyli iure allatorum probarent, facere non poterant.

Aesculapii autem cultus apud Pergamenos praecipuus exstitit, quem Epidauro, dei nostri patria, traduxisse fertur Archias quidam a conuulsione membrorum Epidauri sanatus, ut refert Pausanias.[2] Itaque iam antiquissimis temporibus Aesculapius inter praecipua Pergamenorum numina colebatur, quae quidem religio seruata est per omne tempus. Immo ut ex Taciti uerbis discimus asyli iure ornatus est deus eiusque templum Pergami; sed quo tempore id factum sit nescimus. Certe iam Sullae dictatoris aetate asylum Aesculapii floruit. Nam templo eius tamquam asylo uti studebant Romani commorantes Pergami, cum bellum exoreretur Mithridaticum, quo omnes Romanos Italosque hospites cum uxoribus, liberis ceterisque ingenuis domesticis, quotquot et horum Italici generis essent, occidi iussit Mithridates VI., Ponti rex, litteris satrapis omnibus et ciuitatum Asiae magistratibus secreto missis. Sed Pergameni, qui tum erant, odio Italici generis incensi, Romanos, qui supplices in Aesculapii aedem confugerant, cum abscedere nollent, statuas complectentes sagittis configebant testante Appiano.[3] Attamen id ipsum templum Aesculapii compertum asylum esse rettulerunt consules, postquam iura asyli examinauerunt anno p. Chr. 22. Tiberio imperante, quasi nullam unquam passi essent iniuriam ciues Romani eodem asylo usi. Asylum autem a Romanis anno p. Chr. 22. denuo confirmatum posteriore quoque tempore floruit atque

[1] Tacit., ann. III 63.

[2] Paus. II 26, 8.

[3] Appian., de bell. Mithrid. 23.

dei Aesculapii cultus summos accepit honores a Caracalla imperatore, qui ipse ualetudinis causa anno p. Chr. n. 215. Pergamum adiit et in Aesculapii templo somnia captauit ut narrat Herodianus.[1]

ad n. 39. 40. 41. 42 cf. n. 10. 8. 4. 18.

ad n. 43.

## ASYLUM COMMAGENES.

Samosata Commagenes urbs in nummis praedicatur, 'ἱερὰ καὶ ἄσυλος' septemdecim, haec elogia cum aliis coniuncta praebentibus, quorum pertinent duo ad Antoninum Pium, ad M. Aurelium quinque, septem ad L. Verum, ad Commodum duo, ad Septimium Seuerum unus. Itaque certe inde ab Antonino Pio floruit Samosatorum asylum usque ad Septimium Seuerum imperatorem.[2] Asyli numen notum nobis non est. Fortasse ἀσυλίας priuilegio gaudebant Samosata inde a Vespasiano, quo iubente Caesennius Paetus, Syriae praeses a. p. Chr. n. 72. inuasit Commagenen, quae anno proximo p. Chr. n. 73. in prouinciam redacta est. Inde factum est, ut Samosatis, quae iam antea regum sedes fuerunt, metropoleos iura ac Flauiae nomen aliaque priuilegia accederent,[3] in quorum numero fortasse erat templi alicuius asyli ius (?).

ad n. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50 cf. n. 26. 9. 8. 21. 16. 5. 9.

ad n. 51.

## ASYLUM TENI CYCLADUM INSULAE.

Tenios ut asyli ius templi sui defenderent Apollinis carmen rettulisse ad senatum tradit Tacitus,[4] quo sacrare Neptuni effigiem aedemque iussi essent. Sacratum fuit asy-

---

[1] Herod., (ab excessu diui Marci libri VIII ed. Imm. Bekker pag. 111) in Caracall. uita (lib. IV cap. VIII § 3.).

[2] Mionnet, Descr. de méd. V p. 119 n. 49. 50. 52. 53. 54. 55; Suppl. VIII p. 91 n. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39; p. 92 n. 40. 42; p. 93 n. 46.

[3] Eckhel., D. N. V. III p. 253.

[4] Tacit., ann. III 63.

lum Teniorum Neptuno, qui deus ipse erat patronus concilii Amphictyonum, qui Teno in insula habuerunt sedem iam priscis temporibus et Neptunum Tenium tamquam deum communem foederis sui coluerunt, quo foedere omnes maris Aegaei insulae ionicae quidem stirpis coniungebantur. De Teni insulae et urbe et templo haec tradit Strabo[1]: '*Τῆνος δὲ πόλιν μὲν οὐ μεγάλην ἔχει, τὸ δ' ἱερὸν τοῦ Ποσειδῶνος μέγα ἐν ἄλσει τῆς πόλεως ἔξω, θέας ἄξιον· ἐν ᾧ καὶ ἑστιατόρια πεποίηται μεγάλα, σημεῖον τοῦ συνέρχεσθαι πλῆθος ἱκανὸν τῶν συνθυόντων αὐτοῖς ἀστυγειτόνων τὰ Ποσειδώνια*', quae uerba optime referri possunt ad sacra communia ab omnibus ciuitatibus insulisque, quae ad Amphictyonum conuentum pertinebant, facta diebus illis festis, quibus *Ποσειδώνια* quae uocantur Teni celebrabantur. Huic igitur delubro communi oraculi Apollinis testimonio *ἀσυλίαν* sibi uindicare conantur Tenii apud senatum anno p. Chr. n. 22.

Quare Neptuni asylum Teni statutum iam priscis temporibus floruisse statuendum, quibus uiguit Teniae Amphictyoniae apud ionicas Aegaei maris insulas uis atque auctoritas, quae Delici populorum insularumque conuentus potestati mox cessit; Amphictyonia autem Delica prorsus Teniae quae antea fuit expleuit munia.

Asyli ius templi Neptuni denuo confirmauit senatus Teniis anno p. Chr. n. 22.[2]

ad n. 52. 53. 54. 55. 56
cf. n. 16. 5. 21. 23. 21.

ad n. 57.

## ASYLUM MESSENIAE.

Andaniae urbis asylum seruorum perfugium est et eorum quidem imprimis, qui habitant Andaniae in urbe. Certiores de eo sumus facti titulo[3] illo satis amplo, in quo de mysteriis

---

[1] Strab. X 5 § 11 p. C 487.

[2] Tacit., ann. III 63 in fine.

[3] Le Bas et Waddington, voy. arch. 'Mégaride et Péloponnèse'; explication des inscriptions grecques et latines etc.... II$^e$ partie: Mégaride et Péloponnèse par Paul Foucart. pag. 161 sqq. n. 326$^a$ § 16

Andaniae in honores 'τῶν Μεγάλων θεῶν' celebrandis permulta statuuntur. In his quoque de seruorum asylo agitur in paragrapho XVI., ubi leguntur haec: '*Τοῖς δούλοις φύγιμον ἔστω τὸ ἱερὸν, καθὼς ἂν οἱ ἱεροὶ ἀποδείξωντι τὸν τόπον*'. Itaque certus quidam templi '*τῶν Μεγάλων θεῶν*' locus seruis erat perfugium per mysteriorum tempus, quem quidem magistratus dierum festorum celebrandorum causa statuti i. e. *οἱ ἱεροί* statuebant. Iniuria autem Sauppius seruos solum per mysteriorum tempus asyli iuris templi illius Andaniae participes fieri potuisse censuit, quam quidem sententiam suo iure repudiauit Foucartius,[1] inscriptionem illam Andaniensem commentatus, cum diceret, totum templi ambitum seruis exstitisse asylum per omne tempus aliud, nisi per mysteriorum celebrandorum tempus, quo *οἱ ἱεροί* certum templi spatium perfugium esse dixissent secundum praeceptum paragraphi XVI., praesertim cum si per mysteriorum quoque tempus totum spatium sanctum seruis patuisset, facile fieri potuisset, ut clam effugerent serui itaque domini eorum damno afficerentur. Quare per hoc tempus asyli fines coercebantur et circumscribebantur hoc modo, ut certus tantum templi locus perfugium esset seruis fugientibus. Tum quidem praescribebatur etiam '*καὶ μηδεὶς ὑποδεχέσθω τοὺς δραπέτας μηδὲ σιτοδοτείτω μηδὲ ἔργα παρεχέτω*', 'nequis reciperet seruum fugitiuum neue praeberet cibaria neue negotia daret' idque donec seruus in asylo illo moratur. '*Ὁ δὲ ποιῶν παρὰ τὰ γεγραμμένα ὑπόδικος ἔστω τῶι κυρίωι τᾶς τοῦ σώματος ἀξίας διπλασίας καὶ ἐπιτιμίου δραχμᾶν πεντακοσιᾶν. Ὁ δὲ ἱερεὺς ἐπικρινέτω περὶ τῶν δραπετικῶν, ὅσοι κα ἧνται ἐκ τᾶς ἁμετέρας πόλεος καὶ ὅσους κα κατακρίνει, παραδότω τοῖς κυρίοις· ἂν δὲ μὴ παραδιδῶι, ἐξ[έσ]τω τῶι κυρίωι ἀποτρέχειν ἔχοντι*'.

Hisce condicionibus a serui domino aliquo modo prohibebatur damnum, cum si quis seruum quendam nescio quo modo adiuuit, ei bis tantum, quanti fuerat ipse seruus et praeterea quingentae drachmae erant soluendae et eae quidem ipsi serui fugitiui domino. Accedit quod seruorum illorum,

---

et pag. 173. — Sauppe, die Mysterieninschrift aus Andania 1860. Conze et Michaelis, Bullet. Instit. archeol. 1861. pag. 52.

[1] l. c. pag. 173.

qui in asylum confugerant, asyli ius nullo modo erat infinitum, sed asylia eorum hoc modo erat coercita, ut querellae de dominorum iniuriis factae, quibus dominum relinquere atque asylum petere cogerentur, a sacerdote '*τῶν Μεγάλων θεῶν*' examinarentur, utrum suo iure fecissent eas necne. Si quidem querellae seruorum iustae iudicabantur a sacerdote, dominis eorum eos abducere ex asylo nullo modo licuit. Sed uerisimile est ut puto seruum alium sibi deligere potuisse dominum, si sacerdos iustam iudicauit querellam eius. Quodsi uero repudiauit eam sacerdos, tradidit eos domino, uel nisi ipse eos tradidit, domino eos prehendere et ex asylo abducere licuit. Dei autem tutelares asyli nostri seruorum sunt '*οἱ Μεγάλοι θεοὶ*', in quorum honores etiam mysteria celebrabantur, h. e. Cabiri et Imbri et Samothraces eximie culti.[1]

Titulus anno a. Chr. 91. tribuendus est. Quare certe circa hoc tempus atque inde ab anno modo dicto asylum nostrum floruit.

De priore eius statu et condicione prorsus non sumus docti.

ad n. 58 cf. n. 3.

ad n. 59.

## ASYLUM GALLIAE NARBONENSIS.

Titulus quo uno Massilia, Galliae Narbonensis urbs celeberrima, Phocaeorum colonia celebratur '*ἄσυλος*' legitur in silice quodam, a Letronnio falso iudicato.[2] Sed silex ille cum per se falsus sit, tamen continere potest inscriptionem ueram aliunde desumptam.[3] Quare quamuis inscriptio silicis nostri quae est: *Μασσ(αλία) Φωκ(αέων) ἄσυ[λ](ος) αὐτ(όνομος)*' non compareat in Massiliae urbis nummis[4] neque aliis elogiis

---

[1] uid. Foucart., apud le Bas et Waddington 'Mégaride et Péloponnèse'. pag. 164.

[2] C. I. G. III p. 1031 n. 6766.

[3] l. c. n. 6765.

[4] unde quod iam forma docet: *ΜΑΣΣΙ*
*ΦΩ* hoc loco ΥΨ
*Κ* nauicula
*ΑΣΥΑ. ΑΥΤ.*
titulus desumptus uidetur; cf. C. I. G. III p. 1031 ad n. 6766.

urbis confirmari possit, tamen Massiliam asylum fuisse appellatam optimo iure credi potest. Quodsi uerum est elogium nostrum, ἄσυλον illud Massiliense fortasse fuit templum Dianae Ephesiae a Massiliensibus imprimis cultae,[1] unde translatus est ad urbem titulus honorarius 'ἄσυλος'.

## ad n. 60.
## ASYLUM EPIRI.

Nicopolitanorum Epiri ciuitatis asylum cui deo dedicatum fuerit facile coniectura statuere possumus. Nam Apollinis templum prope Nicopolim urbem ab Augusto conditum, cui deo etiam certamina instituit quinquennalia idem imperator, asylum nostrum fuisse facile credimus. Ceterum iniuria rei diffidendum esse censuit Eckhelius uir doctus[2] lectioni '*ΑCΥΛΟΥ*' quam exhibet nummus quidam Plautillae: '*ΙΕΡΑC. ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΣΥΛΟΥ.*'[3], qui unus Eckhelio notus fuisse uidetur, tale elogium praebens. Sed praeter hunc nummum tribus aliis Caracallae nummis elogium idem 'ἄσυλος' testatur atque comprobatur, quos affert Mionnetus. Epigraphe eorum haec est: '*ΙΕΡΑC. ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΩC . . . . . . . . ΑCΥΛΟΥ*'[4] uel '*ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΩC. ΙΕΡ. ΑCΥ*'., quae bis occurrit.[5] Quare etsi titulum asyli nulli ali urbium in Europa sitarum in nummis datum fuisse huc usque constat, tamen de Nicopoleos urbis elogio ἄσυλος minime dubitari potest, quattuor certis testimoniis nummorum nunc probato. Hoc quidem Apollinis asylum floruit certe temporibus Caracallae nec non Plautillae; sed utrum a Caracalla demum, an iam a priore aliquo Romanorum imperatore priuilegium ἀσυλίας huic Apollinis templo tributum sit nemo dixerit.

---

1 uid. Strab. IV 1, 4 pag. C 179; IV 1, 5 pag. C 180; IV 1, 8 pag. C 184; cf. III 4, 6 pag. C 159.

2 Eckhel., D. N. V. II p. 166.

3 Mionnet., l. c. II p. 59 n. 98; Eckhel., l. c.

4 Mionnet., l. c. Suppl. III p. 394 n. 258.

5 Mionnet., l. c. p. 394 n. 259; p. 395 n. 260.